sicut scriptum est de illo
ve autem homini per quem
tradetur ad crucifigendum.
Hodie apud iudeos
sol obscuratus est.
Non enim ferre potuit cre-
atura iniurias creatoris
Retraxit sol radios
suos ne videret ipsorum
facinora. apud nos au-
tem nox in diem conversa est
Fidelibus enim nox in diem
mutatur. infidelibus autem
etiam lux ipsa tenebrescit
Hodie adam eiectus est de
paradiso et hodie latro
paradisum ingreditur. Ex-
iuit fur et introivit fur (latro)
exivit contemptor ibi et
introivit confitens ubi
exivit contemptor salutis
et introivit de cruce mercans
salutem. R. Tenebre
facte sunt dum crucifix-
issent ihesum iudei et circa
horam nonam exclamavit
ihesus voce magna. Deus
meus. ut quid me de-
reliquisti. Et inclinato ca-
pite emisit spiritum. V. Cum ergo
accepisset acetum dixit
consummatum est. Et in. vj
Vide iustum dei iudicium.
Propter unum peccatum depu-
tatus est adam. et propter unam
fidei vocem latro salvatus
est. Unum peccatum deiecit
illum. et una iusticia in-
troduxit istum. Adam factus
est exul et latro habita-
tor factus est paradisi. O ad-
miracio res mira. Nul-
lum ante latronem invenies
paradisi repromissionem
meruisse. non abraham non
ysaac non iacob non moy-
sen nec prophetas nec apostolos
sed ante omnes recipies
latronem. Hodie inquit
dominus mecum eris in paradyso
Nullus quam autem repro-
missionem paradysi ante

latronem invenies. R.
Barrabas latro dimit-
titur et innocens christus occidi-
tur nam et iudas armi-
ductor sceleris qui per pa-
cem didicit facere bellum
osculando tradidit do-
minum ihesum christum. V. Cum
turba et qui vocabatur
iudas venit et cum ap-
propinquasset ad ihesum os-
R. Barrabas. In iii
nocturno an. Ab insurgentibus
in me libera me domine
quia occupaverunt ani-
mam meam. Ps. Eripe me.
an. Longe fecisti notos
meos a me traditus sum
et non egrediebar. Ps. Do-
mine deus salutis me-
e. A. Captabunt in ani-
mam iusti et sanguinem
innocentem condempnabant
Ps. Deus ul[tionum]. V. [illegible]
[illegible] adversum me lingua
dolosa [illegible] me

Nec dictum est L. vii
quere et latronem ante
alios et citius unum pa-
radisum promisit. Cete-
ri credunt autem illi se-
cundum modo diverso domino qui
sicut possibile fuit inve-
nies. Iste autem vidit
salvatorem non super thro-
num regalem non adorari
in templo non loquentem de ce-
lis non per angelos dispo-
nentem sed in [illegible] sociatum
[illegible] ut vidit mori-
entem et tamquam in gloria
adorat. vidit in cruce et
rogat quasi in celis seden-
tem. vidit condempnatum
et regem invocat dicens
Domine memento mei
dum veneris in regnum tuum.
Tradiderunt me in manus R.
impiorum et inter iniquos
proiecerunt me et non pepe-
cerunt anime mee congre-
gati sunt adversum me for-

DE SPHAERA ET PRIMIS ASTRONOMIÆ RVDIMENTIS LIBELLVS

ad vsum Scholarum maximè accommodatus; accurata methodo & breuitate conscriptus, ac denuò editus.

A

M. THOMA BLEBELIO BVDISSINO.



Anno M. D. LXXXII.

DOCTRINA ET VIRTVTE ORNATISSImo viro D. Magistro THOMAE BLEBELIO, Conrectori Ludi Curiensis, amico suo carissimo

S. D.



Ccepi vnà cum Sphærica εἰσαγωγῇ epistolam tuam humanissimè scriptam, qua memoriam mihi renouas veteris hospitij iuris: Quod me cognoscere ex te fuit gratissimum. Ex quo enim tempore certam inire vitę rationem potui, ita semper iudicaui, bonorum omnium amicitias mihi non solùm expetendas esse, verùm & constanter firmiterq; tuendas: Eorum verò maximè, qui vel studiorum societate, vel communis mensæ vsu coniuncti mihi vnquam fuissent. Quo in numero cum te quoq; esse intelligam, absentem non minus, quàm præsentem olim, complectar, & quibus potero officijs, libentissimè prosequar deinceps. Huius verò in te voluntatis meæ significationem

aliquam, quia id te velle animaduerto; inſpectione libelli tui declarabo. Eum, quãtum in hac feſtinatione licuit, euolui, indeq; ſtudium tuum iuuandæ rei Scholaſticæ perſpexi ac probaui. Quia verò, & Methodo iuſta & facili, planoq; & perſpicuo orationis filo contextum eſt opuſculum iſtud, omninò tibi hortator ſum ad editionem maturandam. Quam ad rem ſi quid commodare ego potero, nihil diligentiæ prætermittam. Benè vale, & Reuerendo ac clariſs. D. Doctori Streitbergero Superattendenti Generali ſocero tuo, Itemq; collegis tuis, viris doctiſs. plurimam ex me ſalutem. Vuitebergæ 27. Ianuarij M. D. LXXVI.

Bartholomæus Schönborn
Medicinæ Doctor.

INGENVIS ET BONA INDOLE AD VIRTVtem præditis Adolescentibus, prima pietatis, artium & linguarum elementa in Schola Curiana fœliciter discentibus, Discipulis & filijs suis charissimis S. P. D.

M. Thomas Blebelius.



GRAVISSIME REGIVS *Propheta inquit Psalmo 19.* Cœli enarrant gloriam DEI, & opus manuum eius annunciabit firmamentum: *Quibus verbis nos in illud immensum Theatrum admirabilium* DEI *operum inducit, quorum spectacula cælum de alto nobis ostendit, eaq; animo & oculis nos intueri, ac tota mentis acie & intentione contemplari iubet, vt eorum consideratione ad veram* DEI *sapientißimi opificis cognitionem adducamur. Etsi autem in tota rerum natura multa sunt testimonia, quæ euidenter conuincant & cogant omnes*

Exordij propos.

Ratio.

Aduersatiua.

hominesrationis compotes fateri, non solùm hunc mundum, ab æterna mente infinitæ sapientiæ, potentiæ, & bonitatis esse conditum, conseruari & gubernari: Verùmetiam eidem deberi obedientiam iuxta notitias honestorum & turpium: Tamen maximè illustria sunt, quæ à corporum cœlestium motu, dierum & noctium discrimine, annorum & temporum vicissitudine, atq; apta omnium rerum distri-
Amplific. *butione sumuntur.* SAPIENTIAM DEI *ostendit ordo corporum cœlestium, in quibus perpetua est similitudo, optima harmonia, & obsequium sine contumacia, (vt loquitur Ptolemæus) sicut disertè inquit Dauid Psal: 136. Qui fecit cœlos in sapientia sua.* POTENTIA *eius conspicitur, in magnitudine, multitudine & pulcritudine stellarum, earum motu & celeritate, sicuti dicitur Psal 147. Qui numerat multitudinem stellarum & omnes suis nominibus vocat.* BONITAS *erga genus humanum: Quia omnia quæ sunt in cœlo & terra hominum causa facta & parata sunt: omnium harum rerum consi-*

deratio

deratio 1. cap. ad Roman: laudatur. Etsi autem magna est humanarum mentium caligo & infirmitas, in qua integra doctrina & mirabilium operum causæ penitus peruestigari nequeunt: Tamen vult DEVS *qualemcunque istam considerationem ordinis in natura, aditum esse ad sui & virtutis agnitionem.* Occupatio. *Quare amemus & magnifaciamus hæc qualiacunque rudimenta, donec in cœlesti Academia integram doctrinam cognoscemus, & pulcherrima illa corpora, & eorum motus coràm contemplabimur.* Conclusio exordij.

CVM *autem omnia studia nostra præcipuè ad* DEI *cognitionem referenda sint, vt assensionem de* DEO *& prouidentia, quæ ex hac doctrina præcipuè peti potest, in vobis discipulis & filijs mihi charissimis confirmem, vosque ad amorem atque ardentius studium doctrinæ de motibus syderum (cuius ego in hoc compendio summam breuem & prima tantùm elementa congessi) excitem, de huius studij dignitate & vtilitatum magnitudine quædam hîc dicere decreui.* VOLVIT *enim* DEVS *statim* Propositio adhortationis.

 ab

Confirmationis ratio 1. ab honesto. Ab autoritate Dei. Genes. 1. Primi hominis Adami eiusque liberorum.

ab initio creationis aspici firmamentum et obseruari circuitus Solis, Lunæ & aliarum stellarum, dum ipse non tantum anni metas constituit, cùm inquit: Fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem ac noctem, sint in signa, tempora & annos: Verùmetiam ex limo terræ Adamum primum hominum satorem facie erecta produxit, vt quoties cœli machinam intueretur, diuinitùs commonefactus liberos & numerosam suam posteritatem non modò de DEI essentia, & voluntate, de hominis præstantia, de huius lapsu, de causa mortis, & calamitatum humanarum, atque interitus rerum omnium, de earundem restitutione, præcipuè autem de reconciliatione hominis cum DEO, de cultibus & obedientia ipsi præstandis: Verùmetiam de totius ædificationis consilio, abditarum rerum proprietatibus, Syderum motu & effectu, terræ sedisque suæ magnitudine, mentis & alijs rebus omnibus, quas penitùs introspexerat, erudiret. Ab hoc igitur homine, ceu fonte quodam perenni, promanarunt omnis generis artes & disciplinæ, inprimis

primis verò illæ sublimiores de cœli & astrorum motu atq; effectu, quo præeunte, liberi eius & primi parentes nostri firmamentum studiosè aspexerunt, & maximè insigniores stellas magna sagacitate dinumerarunt, quibus etiam vitæ longiora spatia, hanc ob causam præcipuè prorogata sunt, vt teste Iosepho, Syderum periodos, & ambages rectiùs comprehenderent & obseruarent. Et Berosus, Iosepho antiquior, scriptum reliquit, non tantùm S. Patres in prima ætate sideralem scientiam à DEO *acceptam, excoluisse & amasse: Sed etiam post diluuium, Noham, Abraham, Iob, Iacob, Ioseph, Patriarchas & Prophetas omnes cursus astrorum, quorum sæpè faciunt mentionem in libris suis, exactè nouisse, atq; distinxisse annum ad Solis motum, & in 12. menses ad Lunæ cursum, eandemq́; sapientiam filijs & nepotibus suis summa cura instillasse, à quibus postea in Chaldæam, Phœniciam & Aegyptum religionis & Astronomiæ studia promanarunt, inde tandem in Græciam, Italiam & cæteras Europeæ gentis partes inuecta*

S. patrum.

Lib. 3.

Lib. 1. cap. 3.

Patriarcharum.

Prophetarum.

Multarum gentium.

 sunt.

Imperatorum, Regum & Ducum.

sunt. Nam post patrum tempora, DEVS alibi alios subinde harum artium custodes excitauit, ac quidem magnos viros, principes & Heroas, qui cœlesti motu afflati in cœlum suspexerunt, & doctrinam astrorum amauerunt, hinc eorum nomina stellis grata posteritas attribuit. Horum magno, & memorabili exemplo omnibus temporibus, & hac ipsa ætate, summi Imperatores, & Principes, hanc sapientiam contemplandi sydera excoluerunt, labentem erexerunt, illustrarunt & conseruarunt, generosas mentes sua liberalitate ad illam excolendam inuitarunt, fouerũt, amarunt & ornarunt. Quare cum nos Patrum & Prophetarum simus discipuli, his potissimum operam nauemus nostram, quæ ab initio statim mundi, unà cum religionis doctrina, à DEO ipso monstrata primis parentibus, à sanctis Patribus, Patriarchis & Prophetis, ad omnem posteritatem propagata sunt, & perpetuò in eo cœtu, qui dulcissimum Ecclesiæ DEI titulum verè gesserunt, culta & omni tempore laudatiss. Principum atq; Heroum tutelæ consecrata fuerunt.

Conclusio primæ rationis.

Hæc

Hæc licet magnam dignitatem doctrinæ Astronomicæ addant: tamen ea ex vtilitatibus etiam peti possunt, quarum aliquot & præcipuas saltem enumerabo: Primùm prodest ad confirmandam prouidentiam. Cùm enim consideramus perpetuam & constantem conuersionem primi mobilis, regularem motum Solis in Ecliptica, Lunæ luminis varietatem & diuersam qualitatem, conuenientem harmoniam, in natura inferiori efficaciam, motuum perennitatem congruentium ad accessus & recessus Solis & reliquorum Planetarũ, qualitates rebus nascentibus conuenientes, moderatas temporum vicissitudines, terræ, quæ nullo sustinetur fulcimine, immobilitatem & magnitudinem, fateri cogimur, esse DEVM, *cuius prouidentia hæc omnia administrantur. Præterea hæc doctrina non tantùm nos commonefacit de conditore & gubernatore omnium rerum* DEO, *sed etiam ad eius agnitionem quasi deducit: Ideo Plato in Timæo Astronomiæ causa oculos nobis præcipuè datos esse affirmat, quo inde ad* DEI *cogni-*

II. ratio ab vtili.

I. confirmat prouidentiam.

Psalmo 104.

2. conducit ad agnitionem Dei.

gnitio-

gnitionem perueniamus: Etsi autem tota rerum natura præsentem DEVM in hoc suo opificio tam propè nobis ostendit, vt penè manibus contrectari poßit, quemadmodum eruditißimè D. Apostolus philoso-

Acto. 17. phatur: Tamē doctrina considerans motuum leges, & intelligens sapientiam in fabricatione, certiùs DEVM monstrat, in quam sententiam dulcißimi versiculi sanctæ memoriæ D. Præceptoris PHILIPPI MELANTH. extant:

Ἄστρα μὲν αὐτὰ πέλει θείας σημεῖα προνοίας
Μᾶλλον δ' ἡ ἄστρων θεσπεσίη διδαχή.

Atqui Spiritum sanctum etiam vti interdum hisce simulachris, quasi visibilibus verbis adflectendos animos ad veram DEI agnitionem & inuocationem salutarem,

Actor. 17. exemplum Dionysij Areopagitæ ostendit. Is

Eclipsis solis miraculosa. enim cum tempore paßionis Christi Solem in plenilunio tribus horis continuis deficere videret, exclamasse fertur, aut DEVM pati, aut mundi machinam ruituram, ac cum suis συμφιλοσόφοις communicato consilio aram extruxisse cum inscriptione: IGNOTO DEO. Hanc Paulus Apostolus

lus Athenis inscriptionem legens, se ignotum DEVM *patefacturum esse, inquit, & illius Eclipsis causis expositis Dionysium ad veri Dei agnitionem salutarem perduxit. Quanquam non ignorem, ab alijs aliam causam adduci huius Aræ ab Atheniensibus* IGNOTO DEO *positæ. Quia autem non desunt idonei autores hanc allegantes causam, eam vt veriorẽ amplectimur. Atq; vt euidentiorem probationem addamus, Deũ delectari ostensione talium apparentiarũ, cogitemus quid Iosuæ Israëlitarum Duci, dum ad eius imperium Sol sistitur, quid Ezechiæ regi Iudæ, cuius tempore idem Sol longo spacio regreditur, à Deo datum & tributum sit. Hæc veteris Testamenti exempla sunt, vt notum est: in nouo illustriora proposita sunt & fortasse plura, quàm Apostolorum monumenta tradunt: Cui rei fidem facit & Magorum historia, qui ortu stellæ nouæ regem & saluatorem totius mundi natum esse, verè in astrorum doctrina eruditissimè iudicarunt & agnouerunt.*

Iosue 10. Ecclesiastici 46. 4. Reg. 20. Esaiæ 38

Matth. 2.

Ac fatebuntur omnes mediocri saltem

3. ad inuo- tem harum artium & doctrinæ cœlestis co-
cationem gnitione instructi, motuum cœlestium ob-
Dei, mores seruationem & astrorum contemplationē
& vitæ cultoribus suis de multis religionis mysteri-
actiones
rectè insti- is melius cogitandi, ardentiùs Deum colen-
tuendas. di, inuocandi, mores & totius vitæ acti-
ones rectiùs regendi, futuram beatorum
Genes. 15. societatem, & cœlestem patriam expeten-
di, occasionem suppeditare & ad hæc inui-
tare. Ideò Deus ipse Abrahamum intueri
cœlum iubet, & proposito signo Astronomi-
co promissionem de numerosa posteritate,
ex qua ipse Messias Redemptor totius ge-
neris humani proditurus esset, confirmat,
ipsiusq́; animum ad fidei & pietatis exerci-
tia, hoc modo inuitat. Et Dauid in mul-
tis Psalmis, cœlorum consideratione timo-
rem Dei, fiduciam in eum, glorificationem
nominis ipsius & alias virtutes in nobis
Psal. 19. comparari testatur Pinxit enim Deus in
Lucæ 21. cœlo multarum rerum in Ecclesia similitu-
dines. Nam vt Sol Christi: ita Luna Ec-
clesiæ, & stellæ omnium doctorum atq́; pio-
rum dulcissimam imaginem, & multa my-
4. Do- steria præbent. Ac manifestum est hanc
ctrinæ doctri-

doctrinam ab initio mundi in Ecclesia Dei conseruatam, & vnà cum religionis studio à Deo ipso primis parentibus monstrato ad omnem posteritatem propagatam, vt sciremus Deum ab æterno fuisse, mundum verò ab ipso certo tempore conditum esse, duraturumq́ʒ ad metam ab ipso constitutam. Ecclesiæ necessaria.

Voluit Deus certò notum esse, quando & quibus testimonijs se patefecerit, quod genus doctrinæ antiquissimum & certissimum sit, quando lex promulgata, quando promissio de venturo semine primùm edita, in quibus locis & quibus testibus repetita, quando filium miserit, vt pro genere humano victima fieret, qua serie Ecclesia Christi propagata, in quibus locis collocata, vbi & quando instituta & restaurata, & quando hæc ærumnosa vita finem sit habitura: Hæc omnia sine certa ratione et serie annorum, quam sacra Biblia indicant, & sola Astronomia explicat, atq́ʒ exquirit, sciri non possunt. Ideò nemo sine hac doctrina rectè intelligere, aut integrè explicare potest, non tantùm Medicorum, 5. Scholis.

Cosmo-

Cosmographorum, historicorum, Poëtarum, Rei rusticæ, aliorumq́ authorum, tàm Græcorum, quàm Latinorum monumenta aut vllam Philosophiæ partem: Sed etiam Prophetarum & Apostolorum scripta, in quibus subinde Temporum, Annorum, Mensium, Dierum, Horarum, Festorum, Eclipsium, ortuum & occasuum Stellarum, signorum cœli, motuum, circulorum, plagarum mundi, peregrinationum, locorum, regionum, terræ quantitatis, formæ & a-

6. *Vitæ communi.*

liorum ornamentorum fit mentio. Sed quid commemoro publicas vtilitates, cum nec vita priuata ea carere possit. Qualis quæso futura esset hominum vita, qualis esset imperiorum, contractuum & omnium ciuilium negotiorum & actionum confusio, quantæ tenebræ historiarum, Si annorum numero, antiquitatis serie & temporum ordine, in rebus gerendis & præsentibus

Conclusio huius argumenti.

negotijs destitueremur? In tanta inscitia, neq́ religio vlla, neq́ artes, neq́ ciuilis status retineri posset. Quare cum doctrina Astronomica in animis hominum veram de DEO opinionem, pietatem & inuocationem

tionem

tionem confirmet, Ecclesiæ DEI maximè necessaria sit, & priuatæ atque publicæ vitæ plurimas vtilitates adferat, meritò eam magnifaciamus, & cum aliarum artium & pietatis studijs diligenter coniũgamus.

Ac ne quis difficultatem & sublimitatem rei tàm procul positæ, quam hæc doctrina tractat, prætendat: DEVS *omnibus sæculis, quorundam summorum virorum ingenia & studia excitauit, atque prouexit, qui certam stellarum & motuum rationem, primis parentibus diuinitùs ostensam, & in Ecclesia conseruatam, amarent, & ceu optimum depositum, ac opus publicum communibus studijs maximè necessarium, literis comprehensum posteritati relinquerent. Ad horum monumenta integram doctrinam continentia, rectiùs intelligenda, aditum nobis faciũt Elementa sphærica, in quibus artifices magna prudentia et optima methodo, ex tanta, tamque multiplici rerum copia complexi sunt, ea tantum, quæ in his artibus Tyronem scire necesse est, ratione facili, & accurata breuitate, vt quemlibet mediocri*

III. Ratio à Facili.

1.

2.

saltem ingenio & cognitione numerorum, atque tolerantia laboris præditum, etiam sine Præceptore, eius artis cognitionem sibi comparare posse contendas.
3. *Nec desunt nobis Præceptores huic pulcerrimæ disciplinæ dediti, qui nos summa voluptate ad cœli contemplationem inuitant, & ijs rebus quæ ad eius doctrinæ cognitionem requiruntur, simplicissimè instituunt, & facili manu quasi ducunt, modò eius artis, cuius in Ecclesia, Scholis & Rebuspublicis, maximus vsus est, dulcedinem & suauitatem appetamus.*

IIII. Ratio à Iucundo & Suaui. *Debebat etenim ipsa rerum bonitas & insatiabilis voluptas generosas mentes, ad hoc studium appetendum, inuitare:*
1. *Quæ enim relaxatio gratior, quæ voluptas maior esse potest, quàm cœlestis domicilij atque patriæ veræ contemplatio?*
Amplific. *Nec dubium est hanc ipsam ob causam tàm pulchris luminibus cœlum ornatum & tàm concinnum esse ordinem motuum institutum, vt ad aspectionem ipsa pulchritudine inuitaremur, quod & Ouidius sensit,*
1. Fastorū. *cùm ait:*

Felices

Felices animæ quibus hæc cognoscere prima,
Inq́ domos superas scandere, cura fuit.
Credibile est illos pariter vitijsq́ iocisq́
Altius humanis exeruisse caput.

Et Plato in Timæo de oculis disserens, affirmat oculos Astronomiæ causa hominibus datos, vt cum voluptate agitationes cœlestes, cum quibus cognati sunt, aspiciamus, & quasi per cœlum perrumpentes, ipsum syderum rectorem vera inuocatione compellamus. Et cum Daniel Propheta cap. 12. & Apostolus 1. ad Corinth 15 affirment, Eos, qui ad iustitiam multos erudierunt, in vita æterna stellarum instar fulsuros, Quis non stellarum honorem & pulchritudinem cognoscere, & philosophicis oculis subinde aspicere, & pertæsus rerum humanarum flagranti desiderio cum ipso DEO *in vera ac cœlesti patria versari velit? Deinde quàm iucundum est, mente totum terræ ambitum complecti,* 2.
quam vulgus infinitam ferè molem cogitat, & adire ea loca, in quibus DEI *Filius coæternus, Dominus noster Iesus Christus, Mediator & Redemptor noster primã*

promissionē ex sinu æterni Patris allatam promulgauit, docuit, humanam naturam assumpsit, baptizatus est, resurrexit, ascendit ad cœlos, multaq́ miracula edidit. Quare cum ipsa insatiabilis voluptas, & pulchritudo stellarum pias mentes ad contemplationem cœli alliciat, dici profectò & explicari nequit, quantoperè hæ delectentur qualicunq́ saltem cœlestium orbiū cogitatione, vt dulcedine etiam captæ, nunquam satiari possint, quin semper maiorem earum rerum notitiam flagranti desiderio expetant.

Conclusio huius rationis.

Sed reperiuntur nonnulli sideralis scientiæ contemptores, qui totum hoc doctrinæ genus irrident, nec solum prædictionibus fidem detrahunt: Sed etiam vitupe-rant motuum cognitionem & contemplationem stellarum, ceu rem vanam, incertam & Christiano homine indignam. Horum furiosis clamoribus nihil moueamur: Nam perpetua experiētia palàm testatur, sydera in hac inferiore natura significationes & effectus suos habere, & certissimorum temporum vices describere, suoq́ accessu

Confutatio obiectionum.

I. Quòd non sit vana.

cessu & recessu, ortu atq; occasu dissimiles tempestates constituere, ad quarum rerum considerationem nos ipsa vox cœlestis grauissimè hortatur, sicuti scriptum est in Genesi: Et erunt in signa, tempora, dies & annos &c. Quomodo autē nobis annos, mēses & dies conficient? Quomodo signa & minas cœlestes, quas etiā Christus Lucæ 12. obseruari iubet, denūciabūt, nisi obseruato motu & positu stellarum? quas DEVS *mirando consilio ad vtilitates animantium, maximè verò hominum condidit, & pulcherrimo ordine collocauit, & ita distribuit, vt metas annorum ostenderent, & temporum ordo cerni, & numerari interualla possent, atq; iræ* DEI, *impendentium calamitatum, & mutationum mundi certissima signa essent, de quibus nemo, nisi Astronomiæ peritus, edisserere potest.*

Cap. 1.

Quod verò in Ieremia Propheta dicitur: Nolite timere à signis cœli, quæ timent gentes, non negat Propheta signa esse, cùm ea signa nominet, & omnium seculorum exemplis expertum sit, horrendas Eclipses luminum, & diros aspectus Planetarum

2. *Quòd non sit incerta. Cap. 10.*

tarum semper habuisse tristes euentus, & magnas calamitates ac mutationes imperiorum & regnorum denunciasse: Sed consolatur pios, ne ea metuant, sed potius hisce oraculis diuinis admoniti, erigant mentes supra vniuersam hanc naturam corporalem ad DEVM: *& ab ipso syderum rectore expetant & expectent auxilium & liberationem, O dulcem consolationem Ecclesiæ & omnibus* DEVM *verè inuocantibus propositam. Neq; quisquam in Philosophia rectè institutus aliter sensit vnquam. Ideò Ptolomæus inquit: Astrologorum decreta non esse edicta prætoria. Et nota sunt vsitata dicta: Astra inclinant, sed non necessitant. Item: Astra regunt homines, sed regit Astra* DEVS.

3. *Non indigna homine Christiano.*

Atq; hæc non dissentiunt à Christiana doctrina, quæ etsi docet omnia diuinitùs gubernari: non tamen tollit naturales actiones & rerum significationes, atq; effectiones, quas suo liberrimo consilio DEVS *vel adiuuat, vel impedit, adest causis secundis in toto suo opificio, & propter hominum scelera minus adiuuat bonas effectiones,*

ctiones, sæpè etiam propter Ecclesiam malas impedit, nihilominus tamen ars in fabricatione causarum cognoscenda, quæ & vtilis est, certa & digna homine Christiano, propter quam aspici opera sua DEVS *voluit.*

Cùm itaq; ad colendam Astronomicam doctrinam ipsa vox cœlestis nos hortetur, & exuscitet, sapientis antiquitatis exempla vrgeant, magnitudo publicarum & priuatarum vtilitatum inflammet, insatiabilis deniq; voluptas inuitet, amanter & paternè, vos mihi charißimos discipulos & filios moneo, hortor & obtestor, vt cùm propter communem vtilitatem, tùm propter DEI *gloriam, hanc doctrinam de cœlo & anni metis, ametis, excolatis, & cũ pietatis, aliarũq; artium studijs diligenter coniungatis. Verùm cum integra eius cognitio ex artificum libris seu fontibus haurienda & petenda sit, & vos propter ætatem immaturam & ingenij imbecillitatẽ, ijs rebus nondum sitis instructi, quæ ad eorum lectionem requiruntur, Reuerendi & Doctißimi viri, Domini gubernatores* Epilogus.

Scholæ nostræ, compatres & collegæ mei cariss. ante aliquot annos mihi iniunxerũt, vt ex Hartmanni quæstionibus (quæ tum ex recepto more in Schola nostra proponebantur, ac sua vbertate compendij breuioris modum excedere & sublimitate materiæ in plerisq; locis captum iuniorum longè superare videbantur) ea saltem colligerem, quæ in primo vestibulo eius artis incipientibus maximè profutura essent, & facilem aditum ad altiora intelligenda facere possent. Quibus vt ego reuerenter obtemperarem, & voluntatem meo loco promouendi iuuentutis studia probarem, congessi in vsum Scholæ nostræ, non tàm ex Hartmanni, quàm aliorum absolutissimis in hoc genere scriptis libellis, hanc Isagogen breuissimam, de primo cœli motu, eiusq; vsu, adiutus ijs quæ olim in Academia VVitebergensi, à D. præceptoribus, in omnem æternitatem mihi suspiciendis, acceperam, ea accurata breuitate, ratione facili, & verbis perspicuis, in formam breuis compendij redigere, discipulis simplicissimè proponere et inculcare, liberaliaq;

ingenia

ingenia non ſine voluptate & fructu iam aliquot annos ad contemplationem cœli & ſtellarum inuitare conatus ſum.

Hunc meum laborem & operam cum domini inſpectores & collegæ mei probarẽt, & viderent eſſe fructuoſum, iudicarentq́; hunc libellum & huic noſtræ Scholæ & aliis, vt vocant, Triuialibus, in quibus ſummam artis cuiuslibet, ſimpliciſsimè proponi neceſſe eſt, maximè vtilem fore, pro ſuo iure à me flagitarunt, vt eum typis excudendum traderem, hacq́; ratione non tantum diſcipulos, alioqui in excipiendis præceptorum dictatis μισοπόνους, *ſcribendi, me ipſum verò dictandi labore leuarem: ſed etiam ad hæc pulcherrima ſtudia alacriùs colenda eos inuitarem. Horum autoritate & voluntate ego fretus, depoſito omni metu obtrectationis, hunc libellum Sphæricum ad puerilem educationem accomodatum,* non tamen ſine clariſs. virorum, Academiæ Vuitebergenſis Mathematum Profeſſorum, præceptorum meorum, perpetua pietate colendorum iudicio & cenſura, *typis excudendum de-*

 di:

di: quem vobis discipulis & Filijs meis charissimis offero, inscribo, & dedico: amantibus verò hæc studia nostra & intelligentibus operas scholasticas, & magnifacientibus, vt decet, harum dignitatem, aduersus sycophanticos morsus defendendum committo. Nec dubito, quin hoc exiguum munus, vel hoc nomine, quòd à præceptore parente, bono & hilari animo datur, vobis omnibus & singulis, carum & gratum sit futurum, & propterea meam erga vos singularem beneuolentiam, amorem & fidem, quam in publica & priuata institutione exploratam habetis, & DEO iuuante, posthac etiam omnibus discipulis meis probare cupio, debita pietate perpetuò celebraturi, meq; & totam domum meam Filio DEI in precibus vestris diligenter commendaturi sitis. Omnes verò doctos & bonos viros, scholarumq; gubernatores pertissimos, reuerenter oro, vt de meo hoc labore, quo infirmæ ac rudi ætati prodesse, & nemini nocere volui, candidè iudicent, & si quid in hoc compendio desiderabunt, pro suo arbitrio & liberrimo iu-

dicio

dicio adÿciant, superuacanea tollant, atq; ita institutioni puerili vtilem efficiant, vel me saltem de eo fraternè admoneant.

Quod superest, DEVM *æternum patrem Domini nostri* IESV CHRISTI *conditorem in cœlo illorum pulcherrimorũ corporum, & autorem sapientiæ, quæ in doctrina cœlestium motuum continetur inexhausta, ardentibus votis & toto pectore oro, vt has & alias artes Ecclesiæ & Reipub. Christianæ necessarias, non sinat extingui, sed concedat nobis grata halcyonia, accomodata his studÿs, quibus ipse absq; omni controuersia summo honore afficitur & celebratur. Bene valete optimi discipuli, ac filÿ chariss. & spem atq; expectationem nostram de vobis & studÿs vestris conceptam, pietate modestia & studio discendi, fouete, vel potius vincite. Data ex Phrontisterio nostro, Curiæ Variscorum ad ripam Salæ fluminis, Anno Christi* M. D. LXXVII. *Decimo septimo calend. Aprilis, quo die ante 29. annos Reuerendus & clarissimus vir Dominus* DOCTOR IOANNES STREIT-

BER-

BERGERVS, *& soceri, & parentis no=*
mine mihi carißimus in hac patria sua vr=
be, amplißimi Senatus sumptibus, hoc no=
uum Gymnasium nostrum, magno conatu,
immensis vigilijs & laboribus, DEO *suc=*
cessus gubernante, primus aperuit, legi=
bus confirmauit, optimam rationem insti=
tuendæ iuuentutis in cœlestis doctrinæ, ar=
tium, et linguarum principijs, introduxit,
claßium, operarum & exercitiorum, atq;
collegarum ordinem & numerum, (quo
adhuc vtimur) auxit, fideliter instituit,
& totos annos 19. fœliciter rexit, donec
fatali vicißitudine recurrente, eo ipso die
An. 67. insigni beneuolentia & clemen=
tißima voluntate Illustriß. Principis no=
stri Domini Domini GEORGII FRI=
DERICI MARCHIONIS BRANDE=
BVRGICI *Ecclesiæ Christi* NVTRITII
verè liberalis & munifici, ad summum
gubernationis Ecclesiasticæ fastigium eue=
ctus, Prouincialis Superattendens Eccle=
siarum & scholarum in superiori Marchio=
natu Brandeburgico & consistorij Culm=
bacensis preses designatus, vtriusq; mune=
ris

uis administrationem, Scholasticam & Ecclesiasticam (quam hîc cum magna industriæ & fœlicitatis laude simul tenuit) successoribus peritissimis, publica autoritate commendauit & tradidit.



IN HOC LIBELLO CONTINENTVR.

In I. parte.

Definitiones communium vocabulorum.

Hypotheses totius Astronomiæ vel de diuisione Sphæræ, atq; stellarum, de serie atq; motu Planetarum.

De diuisione totius mundi, atq; terræ forma, situ ac magnitudine.

In II. parte.

Doctrina de circulis cœlestibus eorumq; diuisione & vsu. Item de zonarum numero & distinctione.

In III. parte

Tractatus de tribus speciebus ortuum & occasum Poëticorum.

De ascensionibus signorum seu partium Zodiaci.

De discrimine dierum Naturalium & Artificialium.

De horis Æqualibus & inæqualibus.

De accidentibus seu proprietatibus Sphæræ rectæ & obliquæ.

In IIII. parte.

De Eclipsibus Lunæ & Solis.

De

De diuerſitate apparentiarum & illuminationum in Luna.

De aſpectibus Planetarum.

His acceſſerunt.

Methodus de diſtantijs locorum computandis.

Tabulæ continentes motum ſeu locum Solis ad ſingulos dies anni priſci ſæculi. Item Gradus Eclipticæ, cum quibus ſtellæ inſigniores olim oriebantur & occidebant.

Item Tabulæ aſcenſionum rectarum & obliquarum: Declinationis Solis: Maximorum Dierum &c.

Calendarium Poëticum generale.




LIBER

LIBER PRIMVS CONTINENS COMMV-NIVM VOCABVLORVM DEFINITIONES atq; Hypotheses totius Astronomiæ.

Quid est Sphæra?



SPHAERA *latinè globus, est corpus absolutè rotundum atq; solidum una superficie contentum, in cuius medio est punctum, quod Centrum dicitur, à quo omnes lineæ ductæ ad superficiem, sunt eiusdem longitudinis.*





Quid est Centrum?




Non quodlibet punctum in circulo seu Sphæra Centrum dicitur: sed id tantum, quod præcisè medium obtinet, à quo omnes lineæ rectæ, undequaq; ad circumferentiam eductæ, sunt inter se æquales. Per hoc axis Sphæræ transit.

Quid est Axis Sphæræ?

Est recta linea transiens per centrum Sphæræ, applicans extremitates suas (quas polos vocant) ad circumferentiam ex vtraq; parte, circa quam lineam Sphæra voluitur. In circulo Diameter seu Dimetiens vocatur.

Quid sunt Poli Sphæræ?

Sunt duæ extremitates seu puncta terminantia axem, per centrum Sphæræ traiectum, circa quem cœlum vertitur, vnde & nomen habent, ἀπὸ τοῦ πολεῖν à vertendo: Ideoq; latinè vertices, & cardines cœli dicuntur.



Quomodo discernuntur illi duo Poli?

Alter qui à nobis perpetuò supra horizontem eleuatus cõspicitur, à vicina vrsa cœlesti quam Græci ἄρκτον dicunt, Arcticus appellatur. Dicitur & Septentrionalis, à mundi plaga. Alter Meridionalis siue Austrinus, quia arctico oppositus est, Antarcticus dicitur.

Quomodo diuiditur Sphæra?

Dupliciter: secundum { Substantiam & Accidens.

Quid

Quid vocas substantiam?

Ipsam essentiam, atq; partes seu orbes cœli.

Quid vocas accidens?

Id quod non per se Sphæræ inest, sed ei accidit pro diuersa ratione & positione inhabitantium terram.

Quomodo ergò secundum accidens?

In Sphæram { Rectam & Obliquam.

Quid est Sphæra recta?



Est positio Sphæræ, in qua vterq; polus incumbit Horizonti.



Quare dicitur recta?

Quia vterq; mundi polus plano Horizontis incũbens, facit, vt æquinoctialis circulus rectos angulos cum Horizonte vtrinq; constituat.

Quid est obliqua Sphæra?

Est talis Sphæræ positio, in qua alter polorum supra horizontem eleuatus conspicitur: alter infra horizontem perpetuò latet.




Quare dicitur obliqua?

Quia in tali Sphæræ ſitu Horizon atq; Æquator ſua mutua interſectione angulos obliquos ac inæquales conſtituunt, quorum alter obtuſus: alter acutus dicitur.

Quid eſt angulus rectus?

Eſt cum recta linea inſiſtens rectæ, contiguos angulos inter ſe æquales facit.





Quid eſt obliquus angulus?

Cum Linea inſiſtens rectæ lineæ non eſt perpendicularis, ſed obliqua. Eſtq; duplex: Acutus, qui minor eſt recto: obtuſus, qui maior eſt recto.



Quomodo diuiditur Sphæra ſecundum ſubſtantiam?

In nouem partes ſeu orbes cœli, videlicet in Primum mobile ſeu vltimum cœlum: Firmamentum

mentum

mentum seu Sphæram stellarum fixarum: & in septem orbes Planetarum: Saturni, Iouis, Martis, Solis, Mercurij, Veneris & Lunæ.

Habéntne hi nouem orbes eandem magnitudinem & distantiam?

Minimè. Nam MAIORES *sunt sublimiores & extremo cœlo propinquiores:* MINORES *verò & breuiores, quò sunt terræ viciniores.*

Figura ostendens numerum ac ordinem Spherarum cœlestium.




Quomodo mouentur hi orbes?

Duplici motu: Proprio & Alieno.

Quid est motus Alienus?

Quo firmamentum & omnes reliquæ Sphæræ inferiores ab ortu in occasum seu contra seriem signorum, raptu primi mobilis circumferuntur, velocitate æquali, nimirum 24. horarum spacio.



Quid est Proprius motus?

Contrarius priori, quo firmamentum & reliqui orbes 7. Planetarum per se mouentur velocitate inæquali, ab occasu in ortum, & reluctantur primo motui, sicuti cum nauis velocissimo cursu fertur in occidentem, interim tamen nautæ in ea progredi possunt in orientem, vel ad latera nauis.

Quare suprema Sphæra dicitur primum mobile?

Quia est vltima, & suo motu omnes, quas ambit, Sphæras inferiores, quotidie circa terram secum rapit, sicuti videmus quotidie æquali velocitate Solem & omnes alias stellas ab ortu in occasum ferri, qui motus omnium velocissimus est, & regula aliorum motuum.

Quare octaua Sphæra dicitur Firmamentum, & orbis stellarum fixarum?

Quia firmat, & quasi vallo munit reliquas Sphæras, quas complectitur, atq; continet stellas omnes, præter Planetas.

Quid eſt Stella?

Eſt denſior pars ſui orbis, globoſa, lucida, puriſsima ac ſimpliciſsima, affixa ſuo orbi, à quo circulariter atq́ regulariter circumuecta, Periodum ſuam certo & finito temporis ſpacio abſoluit: vt efficiat gratiſsimas vices temporum, dierum menſium, annorum: temperamentorum etiam qualitates in natura elementari & alios effectus rebus naſcentibus conuenientes cieat & gignat:

Quotuplices ſunt Stellæ?

Duplices { Fixæ & Planetæ ſeu Erraticæ.

Quæ ſunt fixæ Stellæ?

Omnes illæ, quæ octauæ Sphæræ adhærent, & ad motum eius ſimul mouentur.

Quare dicuntur fixæ?

Quia vni ſuo orbi omnes quaſi affixæ, eandem erga ſe inuicem diſtantiam, ſeu poſitum perpetuò retinent, nec ſingulæ, vt Planetæ proprijs Sphæris & motu feruntur.

Qui dicuntur Planetæ?

Septem tantum, quorum ſinguli proprijs orbibus ſub fixis ſtellis, diuerſis à terra interuallis incluſi, proprijs & diuerſis motibus circumducuntur.

Vnde dicuntur Planetæ?

A πλανάομαι erro, non quòd sine certa lege vagentur: sed quia non semper in eadem erga se inuicem, & stellas fixas, distantia & propinquitate manent, sed in proprijs suis orbibus proprioq; motu ferantur.

Habéntne Planetæ eundem motum?

Non: sed quò sunt propiores primo mobili, eò tardius, quò inferiores, eò velocius proprio motu feruntur.

Quæ est series, natura, & reuolutio Planetarum?

I. SATVRNVS supremus Planetarum, frigidus & siccus, ideoq; pallet: proprio motu reuolutionem suam 30. annis conficit, vnde ob motus tarditatem græcis κρόνος dicitur: eius character est ♄.

II. IVPITER proximum locum occupat, temperatus & lucidus: 12. annis periodum absoluit: notatur hoc charactere ♃.

III. MARS Ioui succedit: qui est calidus & siccus, Ideo igneo fulget colore: biennio cursum suum conficit: eius character est ♂.

IIII. SOL inter Planetas omnes medium obtinet locum, mediocriter calidus & siccus, autor lucis diurnæ & caloris vitalis: spacio vnius anni zodiacum percurrit: eius character est ☉.

V. Vene-

V. VENERIS Sphæra post Solis proximum locum obtinet, quæ est humida & mediocriter calida: periodum suam annuo spacio, cum sole, conficit: Eum, cum antecedit mane, Lucifer, cum occasum eius vespere sequitur, Hesperus dicitur: character est: ♀.

VI. MERCVRIVS proximè Veneri succedit, eorum Planetarum, cum quibus coniungitur, naturam imitatur, Periodicum tempus cum Sole & Venere habet: cuius nota est ☿.

VII. LVNA omnium Planetarum infima, humida & calida, quæ aliàs aliam luminis speciem terræ ostendit, prout ad ☉ accedit, vel ab eodem recedit: absoluit Periodum suam 27. diebus, & 8. horis: eius character est: ☽.

Quid continetur sub Sphæra Lunæ?

Inferior seu Elementaris mundi pars, in qua omnia sunt corruptibilia, & varijs mutationibus obnoxia, præter animas hominum.

DE DIVISIONE *totius mundi in partes.*

Quæ sunt ergo principales Mundi partes?

Totus mundus distinguitur in duas partes,

quas vulgò regiones vocant, quarum vna est cœlestis seu Æthærea: altera verò Elementaris.

Quid est ætherea regio?

Est ea pars mundi, quæ est supra concauam orbis Lunæ superficiem, vsq; ad supremam Sphæram, constans ex purissima aëris parte, Sphærica, perpetuò mobilis, & lucida. Hæc mundi pars propriè cœlum dicitur.

Vnde dicitur Æætherea?

Dicitur αἰθὴρ: ἀπὸ τοῦ ἀεὶ θεῖν *secundum Aristotelem, quòd perpetuò mirabili celeritate circumferatur: vel* ἀπὸ τοῦ αἴθειν, *quòd natiuo fulgore luceat, vt sit ætherea regio quasi lucida regio.*

Quomodo diuiditur Ætherea regio?

In nouem partes seu orbes stellarum, de quibus modò dictum est.

Quid est Elementaris regio?

Est pars mundi inferior, quæ sub Lunæ orbe, Elementa, omnesq; ex Elementis mixtorum corporum mutabiles differentias gignit, continet & certo ac diuinitùs præfinito tempore conseruat.

Quid est Elementum?

Elementum est corpus simplex, ex quo mixtum componitur tanquam ex parte minima seu simplici, quæ non vlterius in alias species, vel in corpora aliarum specierum subdiuidi potest.

Vnde

Vnde dicitur Elementum?

Elementa seu materialia principia sic dicuntur, quasi alimenta, quòd omnes res naturales inde generentur, foueantur & sustententur.

Quot sunt Elementa?

Quatuor: Ignis, Aër, Aqua & Terra.

Quî scis esse tantum 4. Elementa.

Nam quatuor sunt Elementorum principia, ex quibus illa & oriuntur & distinguuntur, videlicet: Calidum, frigidum, siccum & humidum. Deinde hæ qualitates primæ, quatuor tãtum modis conueniunt & totidem syzygias & coniugationes possibiles constituunt, hoc pacto:

Calidum & siccum	conueniunt in	Igne.	Haiß vnnd trucken.
Calidum & humidum		Aëre.	Haiß vnd feucht.
Frigidum & siccum		Aqua.	Kalt vnd trucken.
Frigidum & humid:		Terra.	Kalt vnd feucht.

Quomodo distinguuntur Elementa?

Sicut Sphæræ cœlestes se inuicem complectuntur, & quò sunt superiores, eò ampliorem habent orbem: Ita & Elementa se circumdant & tanquam orbibus inclusa disposita sunt. Nam sphæra ignis sub concaua superficie orbis lunæ continetur & aërem includit. Aëris Sphæra rursus circumdat aquam & terram, in rotunditatem deductas & mutuo complexu perfectam globi figuram repræsentantes.

Quar:

Quare aquæ non tribuitur orbis peculiaris?

Aqua etiamsi terram ambit, non tamen eam x omni parte contegit, sed intra terræ cauitates & meatus vacuos, eò vsq; donec terræ superficiam exæquet, se continet, & fluctus coërcet, & ita vnà cum terra æquali conuexitate globi figuram constituit.

Quæ est figura Aquæ?

Aquam non tantum leniter tumere, sed etiam aptè ad rotunditatem deduci atq; ita vnà cum terra Sphæricam figuram constituere multis rationibus demonstrari potest. Primùm, quia partes homogeneæ seu guttulæ decidentes rotundam figuram exprimunt. Deinde aqua poculis infusa non tantum æquat eorum summitatem, sed in medio quasi subsistens se attollit & in tumorem assurgit. Tertiò nauigantes experiuntur visum tumore aquæ impediri, dum nauigijs in altum de ductis, ex nauis carina prospicientes non vident turres, vel alia signa in littore maris constituta, quæ in summitate mali conspiciunt.



Qui


Quî scis Terram cum circumfluis aquis vnum globum constituere?

Id testantur peregrinationes. Versus quemcunq; enim mundi cardinem aliquis proficiscitur, deprehendit terram non cingi mediam aquis, nec his vt pomum innatare, sed partes aliquas decliues & quasi excauatas aqua esse oppletas, alias eductas, aqua carentes, gratam animalibus & plantis sedem præbere. Idem etiam Lunares Eclipses ostendunt: in quibus vmbra terræ exprimit rotundam figuram & desinit in conum, & pars obscura rescinditur ab alia per lineam curuam seu circularem. Necesse est igitur terrenum globum, qui talem procreat vmbram cum circumfusis aquis secundum longitudinem et latitudinem mutuo complexu in vnum coire globosum corpus.

Quomodo probas Terram esse rotundam secundum longitudinem?


Terram esse rotundam secundum longitudinem i. e. ab oriente in occidentem vel contrà, inde patet, quòd Sol, Luna, & cæteræ stellæ non oriantur nec occidant eodem tempore omnibus in terra habitantibus, sed prius orientalibus, postea verò occidentalibus: Deinde vna & eadem Eclipsis Lunæ vbiq; locorum eodem momen-

to non conſpicitur, ſed diuerſo tempore apparet. Tertiò variant & initia atq; ſpacia dierum & noctium in diuerſis terræ locis.



Quomodo probas Terram esse rotundam secundum Latitudinem?

Terram esse rotundam versus polos mundi à Septentrione in meridiem & contrà, stellæ perpetuò conspicuæ, vel perpetuò latitantes, nec non diuersæ poli eleuationes, ostendunt. Facto enim à nobis paruo transgressu à meridie in Septentrionem polus arcticus altiùs erigitur & stellæ Septentrionales, quæ antea occultæ fuerant, assurgunt, in opposita parte meridionales vicinæ ho-



rizonti


rizonti deprimuntur & euanescunt. Huius rei nulla alia est causa, quàm tumor terrrę, qui hãc diuersitatem apparentiarum efficit.

Quo in loco mundi sita est terra?

Quòd ex duobus elementis Terra & Aqua conflatus globus medium in vniuerso mundo locum obtineat, & quasi centrum fixum & immotum constituat, multis firmißimis rationibus ostendi potest.

Primùm constat vniuersali experientia, quemuis horizontem, cœlum in duas æquales medietates diuidere in superiorem conspicuam & inferiorem latentem.

Deinde stellarum magnitudines, configurationes, & interualla vbiq; terrarum eadem & æqualia cernuntur.



Tertiò tempus ab ortu solis vsq; ad meridiem semper & in omnibus terræ locis æquale est ei, quòd à meridie ad occasum Solis.

Quartò: vbiq; locorum summa est æqualitas in vicißitudine crescentium dierum & noctium artificialium, sic vt quantum temporis accedit diei, tantum nocti detrahatur & contrà:

Ex

Ex his igitur manifestum est, terram in medio mundi sitam esse immobilem, & centri rationem habere.

DE AMBITV TERRÆ & inuentione Diametri.

Quæ est quantitas seu ambitus terreni globi?

Etsi terra ad cœlum collata rationem puncti, ac nullam quantitatem sensibilem habet: Astronomi tamen depræhenderunt eius circumferentiam esse Ducentorum quinquaginta duorum millium stadiorum, seu quinq; millium & quadringentorum miliarium germanicorum.

Quî scis, tantam esse circumferentium seu ambitum terreni globi?

Cosmographi ambitum totius orbis terreni colligunt ex proportione particulæ seu gradus cœlestis adsimile in terra spacium. Nam sicut cœlestis circulus magnus in 360. gradus diuiditur: ita in totidem etiam circulus terrenus distinguitur, sic vt 15. miliaria Germanica, seu 700. stadia. vnicuiq; gradui cœlesti respondeant. Si itaq; numerum graduum per 15. multiplicaueris, habebis perimetrum terræ in miliaribus 5400. Si idem in stadijs scire cupis, multiplica numerum graduum 360. per 700 stadia, quæ vni gradui respon-






cœlesti respondent & prodibunt 252000. stadia, quorum 46 $\frac{2}{3}$ constituunt vnum commune miliare germanicum.

Quomodo ex ambitu terræ inuenitur eius Diameter seu profunditas?

Archimedes demonstrat proportionem cuiusq; circumferentiæ ad suam Diametrum esse triplam sesquiseptimam, qualis est 22. ad 7. Iam igitur ex inuenta circumferentia terræ, Diameter eius per regulam detri inuestigatur hoc modo: 22. miliarium perimeter, dat 7 miliarium Diametrum: quantam Diametrum dabit Perimeter 5400. miliarium? Duc secundum in tertium, hoc est, multiplica 5400. per 7. & productum, videlicet 37800. diuide per primum 22: prodibunt 1718. miliaria germanica cum $\frac{4}{22}$ | $\frac{2}{11}$. Et ea est terreni globi Diameter, quam si per 2. diuiseris, habebis terræ semidiametrum 859 $\frac{1}{22}$ pro quibus tamen vulgò sumuntur 860 integra miliaria.

Quod si numerum stadiorum, quibus Diameter terræ constat, requiris, eodem modo operaberis: 22. stadiorum perimeter, dat 7. stadiorum diametrum: quantam diametrum dabit 252000 stadiorum perimeter seu circumferentia? Duc secundum in tertium, prodibunt 1764000. hæc partire per 22, prodibunt 80181 $\frac{9}{11}$. Ad hunc

hunc modum cuiuslibet circuli in certas partes distincti Diameter potest inueniri, vt sit circumf. 44, Diameter erit 14. Sic circuli Perimeter 176, Diameter erit 56.



Quomodo contrà, ex data Diametro, potest inueniri circumferentia?

Eodem modo per Regulam detri, transpositis tantum terminis seu extremis numeris. Cum enim omnis circumferentia se habeat ad Diametrum suam, sicut 22. ad 7: Ergo sequitur, quòd omnis Diameter se habet ad suam circumferentiam, sicut 7. ad 22. vt si ex Diametro continente 14. cupis elicere eius circumferentiam, numeros sic ordina: 7. partium Diameter, dat 22. circumferentiam, quantam circumferentiam dabit Diameter 14. partium. Multiplica iuxta regulam detri 22. per 14. & prouenient 308. Productum hoc diuide per 7. & prodibit circumferentia 44.

Sic cuiuslibet lineæ in certas partes distinctæ, poteris inuenire circumferentiam.

Diameter	56	*dat Perimetrum*	176
	16		$50\frac{2}{7}$
	20		$62\frac{6}{7}$

Quid si minutiæ adhæserint?

Si verò minutiæ Diametro adhærent, integer numerus resoluendus erit in minutias, hoc est, multiplicandus per denominatorem, producto deinde numerator fractionis addendus.

Da Exemplum?

Sit Diameter $15\frac{20}{22}$. *Quia integro numero adhærent minutiæ, resoluatur etiam is in minutias, hoc est, multiplicetur 15. per 22. denominatorem fractionis, & prouenient 330: huic producto addatur numerator eiusdem fractionis, videlicet 20. & prodibunt* $\frac{350}{22}$ *quo facto collocabis numeros, vt supra hoc modo:*

7 22 $\frac{350}{22}$

Multiplica iuxta regulam, videlicet $\frac{350}{22}$ *per 22. & prodibunt 7700. Hoc productum diuide per 7. & prodibit circumferentia in minutijs* $\frac{1100}{22}$ *quæ diuidantur per 22. denominatorem suum, & ita colligantur in integrum numerum & prodibit circũferentia in integris numeris: 50.*

Sic & in reliquis exemplis ages.

Rotæ Diameter $8\frac{2}{3}$ *pedum, dat circumferentiam* $27\frac{5}{21}$ *turris Diam: $125\frac{1}{3}$ habet circumf.* $393\frac{19}{21}$.

FINIS PRIMÆ PARTIS.

LIBER

DE CIRCVLIS COELESTIBVS, ET EORVM VSV.

Quid est Circulus?

Est figura plana superficialis, vna linea, quæ circumferentia dicitur, contenta, in cuius medio est punctum, à quo omnes lineæ ad circumferentiam eductæ sunt inter se æquales.

Quot sunt circuli Sphæram materialem constituentes?

Decem { Æquinoctialis, Zodiacus, Coluri duo, Meridianus, Horizon, Tropici duo, & polares duo.

Quomodo diuiduntur?

In { Maiores siue maximos. Minores siue minimos.

Qui sunt maiores?

Qui in superficie Sphæræ descripti, idem centrum cum terra habent, & Sphæram in duo æqualia hemisphæria diuidunt, & sunt sex: Æquinoctialis, Zodiacus, Coluri duo, Meridianus & Horizon.

Qui sunt Minores?

Qui in superficie Sphæræ descripti, diuersa centra à Sphæræ centro habent, eamq; in duo inæqualia segmenta secant, quorum id maius est, quod centrum Sphæræ continet, alterum minus. Tales sunt quatuor reliqui: Duo tropici, & duo Polares. Dicuntur etiam Paralleli seu æquidistantes.

DE LINEATIO CIRCVlorum cœlestium in Sphæra Armillari.



I.


DE ÆQVINOCTIALI.

Quid est Æquinoctialis?

Est circulus magnus in superficie primi mobilis descriptus, qui Sphæram diuidit in duo æqualia, secundum quamlibet sui partem ab vtroq; polo mundi æquidistans.

Vnde

Vnde dicitur Æquinoctialis?



Apud græcos & latinos ratio appellationis eadē est: Sic enim dicitur, quia Zodiacum in duobus oppositis punctis intersecat, quæ cum Sol attingit, quod fit bis in anno, noctem diei artificiali æqualem producit in vniuersa terra. Eadem ratione etiam æquator dicitur.

Quot sunt officia seu vtilitates æquinoctialis?

Septem præcipuæ.

Quæ est prima?

Æquator est mensura & regula primi mobilis. Ostendit enim spacio 24 horarum totum cœlum æquali velocitate circumuolui, dum singulis horis æqualibus 15 gradus de æquinoctiali circulo supra Horizontem eleuantur.

Quæ est secunda?

Ostendit puncta æquinoctiorum, quæ fiunt in vniuersa terra bis in anno, illis ipsis diebus, quibus Sol incidit in circulum æquinoctialem.

Quæ est tertia?

Diuidit Zodiacum & totum cœlum in duas æquales plagas seu medietates, quarum altera versus septentrionem, Septentrionalis dicitur, altera Meridionalis.

Quæ est quarta?

Ascensiones & descensiones signorum Zodiaci in hoc circulo obseruamus.

Quæ est quinta?

Ostendit, quæ stellæ & Eclipticæ partes habeant aliquam declinationem, vel Septentrionalem, vel Meridionalem.

Quæ est sexta?

Est mensura temporis. Singulorum enim dierum atq; horarum spacia definit atq; metitur.

Quæ est septima?

Habet maximum vsum in Geographia ad inueniendas distantias locorum.

II.
DE ZODIACO.

Quid est Zodiacus?

Est circulus magnus habens latitudinem, obliquus respectu æquatoris, quem intersecat, & ab eodem intersecatur in duas æquales partes, cuius vna medietas declinat ad Austrum, altera ad Septentrionem.

Vnde

Vnde dicitur Zodiacus?

A ζωὴ, id est, vita: quia est semita Solis, qui autor vitæ dicitur: vel à ζωδίων, id est, animantium figuris, quibus hic circulus ex stellarum concursu ornatus cernitur, unde & à latinis SIGNIFER appellatur.

Quæ est causa obliquitatis Zodiaci?

Ne fieret penetratio dimensionum, sed vt inferiores Sphæræ super alio axe & polis possent primo motui contraniti. Deinde, vt essent vices temporum, & varietates qualitatum ac temperamentorum in aëre & corporibus animantium. Item, vt Sol in obliquo circulo decurrens, accessu & recessu suo omnes terræ partes lustrare & fœcundare possit. Nam si Solis vniformis & rectus esset cursus, nulla fieret temporis, & rerum nascentium varietas.


Quomodo diuiditur Zodiacus?

Dupliciter: secundum { longitudinem & latitudinem.

Quomodo secundum longitudinem?

In 12 partes æquales, quæ signa Zodiaci latini dicunt. Græci à numero δωδεκατημόρια appellant.

Quare in 12 partes?



Quia animaduersum est singulis reuolutionibus Solis, Lunam in duodecim zodiaci locis Soli coniũgi & opponi, atq; tot intra annuum spacium contingere Nouilunia & Plenilunia.

Quantum est spacium seu longitudo cuiuslibet signi Zodiaci?

Triginta graduum. Eodem enim numero dierum Sol propemodum tale zodiaci spacium emetitur, Lunæq; coniungitur.

Quare partes signorum dicuntur Gradus?

A quotidiano Solis incessu in Zodiaco, quem paulatim gradiendo totum perambulat.

Quot gradus continet totus Zodiacus?


Trecentos & sexaginta, sicut & omnis circulus cœlestis tàm maximus quàm minimus, in totidem partes diuiditur. Vnus verò gradus in

60 Mi-

60 minuta prima. Vnum minutum in totidem secunda & sic deinceps vsq; ad decima.

Quæ sunt signorum nomina?

Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libra, Scorpius, Sagittarius, Capricornus, Aquarius & Pisces, qui hisce characteribus notantur:



Quare veteres signis Zodiaci indiderunt nomina animalium?

Propter naturam conuenientem stellis cum animalibus. Deinde propter efficaciam, quam habet Sol in illis locis Zodiaci.

Quare primum signum vocatur Aries?

Propter qualitatem conuenientem.

Nam sicut Aries est naturæ calidioris: Ita etiam Sole in arietem ingresso calor eius paulatim intenditur, & radijs suis ceu cornibus terram aperit annumq; exorditur.

Vel propter naturam eius. Quemadmodum enim Aries per sex menses hybernales, videlicet ab æquinoctio autumnali vsq; ad vernum, sinistro lateri, econtrà verò per reliquos sex menses æstiuos dextro lateri incubat: Ita & Sol ab intersectione æquatoris sex mensium atq; signorum spacio, dextrum hemisphærium Zodiaci, totidemq;

mensium

mensium spacio sinistrum hemisphærium occupat. Macrob: lib. 1. Sat: cap. 21.

Quare secundum dicitur Taurus?

Quia Sol cum hoc signum ingreditur, vigent taurorum labores siquidem terra tunc fit arationi idonea.

Quare Tertium signum dicitur Gemini?

In geminis Sol cum versatur, maxima est anni fœcunditas, aër commodiss. & tempus fertiliss. Alij ad connubia & gaudia referunt ob præsentis temporis conditionem.

Quare quartum signum vocatur Cancer?

Quia cum Sol hoc signum attingit, altißimus est, & more Cancrorum retrocedit, paulatimq; à nobis reflectitur.

Cur quintum Zodiaci signum appellatur Leo?

Nam quemadmodum Leo ardentißimæ naturæ animal est, præcellens impetu & feruore omnes alias feras: Ita Sol ingressus hoc signum maximè feruet calore & æstu.

Vel, quemadmodum Leo pectore seu priore corporis sui parte validus est, & robustus, posteriore verò infirmior & quasi degenerans: Ita etiam Solis vis sub initio huius mensis rapidißima, quæ postea paulatim languescit, & de suo feruore & æstu non nihil remittit.

Cur

Cur sextum signum dicitur virgo?

Quemadmodum virgo ætatis maturæ apta est coniugio & generationi: Ita Sole in virgine existente, omnis generis fruges maturescunt, & demetuntur. Sed vt non omnes fœminæ fœcundæ sunt: ita sterilitatem & maturitatem frugum penè omnium significat.

Quare septimum signum dicitur Libra?

Quemadmodum Libra æquo fertur pondere: Sic Sol attingens Libræ signum, diem atq; noctem æqua lance diuidit, paresq; reddit in vniuersa terra. Idem etiam præstat in principio Arietis existens.

Quare octauum vocatur Scorpius?

Quemadmodum Scorpij natura pestifera & instabilis est, ad hunc modum etiam Sole in Scorpio existente alterantur tempestates, pruina & frigora succedunt, sæpè etiam pestes & omnis generis morbi existunt.

Quare nonum dicitur Sagittarius?

Hoc cum Sol ingreditur signum, tempestates ciet, ventosq; ac niues ceu tela proijcit.

Quare decimum appellatur Capricornus?

Hoc cum Sol accedit, naturam capræ imitatur, imumq; Zodiaci locum relinquens paulatim ascendit & altiora depascit.

Quare

Quare vndecimum dicitur Aquarius?

Hoc signum cum Sol perambulat, largiores modò pluuias, modò niues demittit.

Quare Duodecimum appellatur Pisces?

Quemadmodum enim pisces aquis gaudent: Ita Sol in hoc signo existens niues & glaciem omnem resoluit, atq; inundationes facit. Vel quia piscium naturam, scilicet humidam & frigidam, hoc tempore anni Sol imitatur, atq; in aëre qualitatem illam procreat.

Quomodo distinguuntur signa Zodiaci?

Dupliciter: Primum per intersectiones æquinoctialis circuli, in Septentrionalia & Meridionalia signa.

Quæ sunt Septentrionalia?

Sex ♈ ♉ ♊ ♋ ♌ ♍, *quæ ab æquatore in Zodiaco declinant in plagam Septentrionalem versus polum Septentrionalem.*

Quæ sunt Meridionalia?

Reliqua sex ♎ ♏ ♐ ♑ ♒ ♓, *quæ ab æquinoctiali in Meridiem declinant.*

Quæ est secunda diuisio?

Diuiduntur etiam iuxta quatuor anni partium qualitates, in totidem quadrantes, videlicet in signa: Vernalia, Æstiualia, Autumnalia & Hyberna.

Quæ dicuntur Verna?

♈ ♉ ♊. *Quamdiu enim Sol in illis commoratur, eſt Ver.*

Quæ ſunt Æſtiua?


♋ ♌ ♍. *Quamdiu Sol in iſtis verſatur, eſt Æſtas.*

Quæ ſunt Autumnalia?

♎ ♏ ♐, *quæ autumnali tempore Sol perambulat.*

Quæ dicuntur Hyemalia?

♑ ♒ ♓ *in quibus Sol Hyberno tempore commoratur.*



Quomodo diuiditur Zodiacus ſecundum latitudinem?

In 12 gradus, quos Planetæ, ab Ecliptica vtrinq; diſcedentes, nunquam egrediuntur.

Quare

Quare latitudo Zodiaco tribuitur?

Quia est via omnium Planetarum, qui non perpetuò sub eadem eius parte, quæ Ecliptica dicitur, sicut Sol, progrediuntur, sed interdum ad latera eius deflectunt ad maximam latitudinem 6. graduum. Ne igitur Zodiaci limites egrederentur, vtrinque circa Eclipticam attributa est ei latitudo 6 graduum, vel, secundum recentiores, 8 graduum, qui binos vtrinque adiecerunt propter ♂ & ♀ à Solis itinere digreßiones, vt vniuersi Zodiaci latitudo 16 gradibus definiatur.

Quid est Ecliptica?

Est circulus in medio Zodiaci. cuius latitudinem in duas æquales partes dirimit, ita, vt ab vtraque parte relinquantur 6 gradus, vel, secundum recentiores, 8 gradus. Dicitur etiam via Solis, seu Iter solare, quia Sol annuo suo cursu eam describit, perpetuóque sub ea incedit.

Vnde dicitur Ecliptica?

A græco ἐκλείπειν, quod est deficere. Nam quoties Luna soli sub hac linea opponitur vel coniungitur, fiunt Eclipses Solis vel Lunæ, sicut infra in quarta parte dicetur.

Quomodo diuiditur Ecliptica?

Perinde, vt Zodiacus, in quatuor puncta cardinalia, quorum duo Æquinoctialia, & duo solstitialia dicuntur.

Quæ sunt Æquinoctialia puncta?

Primi gradus seu puncta ♈, & oppositi signi ♎, quæ cum Sol attingit, fiunt æquinoctia, id est, dies noctibus æquantur in vniuersa terra, quod fit bis in anno, videlicet 11 vel 12 Martij, & hoc æquinoctium vernum dicitur; Deinde 13 vel 14 Septemb. quod Æquinoctium autumnale vocatur.

Quæ sunt Solstitialia?

Principium ♋ & oppositi signi ♑, quæ cum Sol attingit, non vlterius ad polos mundi ab æquatore declinat, sed cursum suum quasi inhibet, & paulatim retroflectit (vnde etiam Tropica, id est, conuersionum Solis puncta dicuntur) quod etiam bis fit in anno: Primùm, cum Sol est altissimus, videlicet 13 Iunij, & paulatim à nobis recedit, quod Solstitium æstiuum vocatur. Deinde cum Sol remotissimam seu imam Zodiaci partem relinquens, nobis iterum appropinquare incipit, quod fit 13 Decembris, cum ♑ ingreditur, & Solstitium hybernum appellatur.

Quæ sunt officia seu vtilitates Zodiaci atq; Eclipticæ?

Sex.

Quæ est prima?

Est via motus proprij Planetarum, sub qua dissimili velocitate feruntur.

Quæ est secunda?

Zodiaci beneficio omnes stellæ fixæ atq; Planetæ ad aliquod 12 signorum Zodiaci referuntur, quæ totum cœlum in 12 regiones, quas Dodecatemoria dicimus, distinguunt.

Quæ est tertia?

Beneficio Eclipticæ vera omnium stellarum loca inueniuntur.

Quæ est quarta?

Ostendit latitudines Planetarum, & stellarum fixarum.

Quæ est quinta?

Sub Ecliptica fiunt Eclipses Solis in coniunctione, & Lunæ, in oppositione luminarium.

Quæ est sexta?

Obliquitas Zodiaci est causa vicißitudinis temporum, atq; inæqualitatis dierum atq; noctium artificialium.

III. ET IIII.
DE COLVRIS.

Quid sunt Coluri?

Sunt duo circuli maximi, in polis mundi sese ad angulos rectos secantes, & tam æquatorem atq; Zodiacum, quàm totam Sphæram in quatuor quadrantes dirimentes, quorum alter per puncta æquinoctialia, alter per Solstitialia puncta, polosq; Zodiaci transit.

Vnde dicuntur Coluri?

Ἀπὸ τοῦ κολούρου, *quod mutilum & imperfectum significat. Nunquam enim hi circuli in Sphæra obliqua integri supra Horizontem, vt reliqui circuli, sed mutili & quasi decurtati conspiciuntur, quorum vna pars cum polo eleuato semper supra Horizontem vertitur, altera verò perpetuò sub Horizonte latet.*

Quot sunt Coluri?

Duo: Colurus { *Æquinoctiorum & Solstitiorum.*

Quid est Colurus Æquinoctiorum?

Est circulus magnus transiens per polos mundi, & prima puncta Arietis & Libræ, intersecans æquatorem & Zodiacum in duas medietates æquales.

Vnde dicitur Colurus Æquinoctiorum?

Quia per puncta æquinoctialia transit, quæ cum Sol attingit, fit æquinoctium in vniuersa terra, sicut supra in diuisione Eclipticæ dictum est.

Quid est Colurus Solstitiorum?

Est magnus circulus per polos mundi & Zodiaci ductus, transiens per principia ♋ & ♑ intersecans priorem colurum, à quo etiam vicissim intersecatur in polis mundi ad angulos rectos.

Vnde dicitur Colurus Solstitiorum?

A punctis Solstitialibus, per quæ transit & maximas declinationes solis metitur.

Quid est maxima Solis declinatio?


Est arcus Coluri Solstitiorum interceptus inter æquatorem & principium ♋, & oppositi signi ♑, ad quæ Sol perueniens, non longius ab æquinoctiali discedit, sed cursum retroflectit & ad æquinoctialem redit.

Quanta est maxima Solis declinatio?

Maxima Solis ab æquatore distantia est secundum recentiores, graduum 23 & 30 minutorum.

Quæ sunt officia seu vtilitates Colurorũ?

Quatuor.



Quæ est prima?

Coluri ostendunt quatuor puncta cardinalia Zodiaci, videlicet duo æquinoctialia & duo sol-

stitialia

sticialia, in quibus propter motum Solis, maximæ temporis mutationes fiunt.

Quæ est secunda?

Quemadmodum vterq; Colurorum æquatorem & Zodiacum in duo æqualia hemicyclia dissecat: ita ambo Zodiacum distinguunt, in quatuor quadrantes, quibus quatuor anni tempora respondent.

Quæ est Tertia?

Eodem modo etiam æquatorem & totum cœlum in quatuor æquales partes secant, cuius rei vsus est in ascensionibus signorum: de quibus in tertio libro dicetur.

Quæ est quarta?

Colurus Solstitiorum præter hæc communia officia, habet hoc quasi peculiare, quòd non tantum maximas Solis declinationes metiatur: sed etiam contineat polos Zodiaci, quorum distantiam à polis mundi ostendit, sicut paulò pòst de polaribus circulis dicetur.

V.

DE MERIDIANO.

Quid est Meridianus?

Est circulus maior transiens per polos mundi & Zenith loci, ad motum Sphæræ immobilis manens, ad quem Sol interdiu primi mobilis motu delatus, Meridiem, noctu verò medium noctis determinat.

Quid vocas Zenith?

Arabes hac voce punctum verticale, id est, directè supra loci verticem constitutum, appellant, vt huic oppositum punctum, Nadir. Per vtrunque Meridianus transit.

Vnde dicitur Meridianus?

A meridie: Sol enim ad Meridianum perueniens in quocunque situ Sphæræ, Meridiem efficit, & pari spacio ab ortu & occasu distat. Dicitur etiam eadem ratione circulus medij diei & mediæ noctis.

Quot sunt Meridiani?

Tot sunt vel intelligi possunt, quot ab ortu in occasum possunt Zenith capitis discerni. Semper enim mutantur Meridiani variato situ in superficie terræ secundum longitudinem, id est, ab ortu in occasum.

Quare Meridiani mutantur tantum versus ortum & occasum?

Nam versus ortum vel occasum rectà progredientes, subinde acquirunt nouos Meridianos. Sed qui recta via versus alterutrum polorum tendunt, sub vno perpetuo Meridiano ambulant.

Estne certus numerus Meridianorum?

Cosmographi constituunt 180 meridianos, ita vt quilibet per duos oppositos gradus in æquatore, & per polos mundi transeat.

Quot

Quot sũt officia seu vtilitates Meridiani?

Quinq;.

Quæ est prima?

Diem & noctem in spacia æqualia distinguit. Diem quidem in tempus antemeridianum & pomeridianum. Noctem in horas, quæ mediam noctem antecedunt & eam sequuntur.

Quæ est secunda?

Ostendit Solis & omnium stellarum maximam altitudinem, seu eleuationem, quæ altitudo Meridiana dicitur.

Quæ est tertia?

In Meridiano numerantur distantiæ stellarum ab æquatore.

Quæ est quarta?

Beneficio Meridiani eleuationes poli, & Sphæræ habitudinem, & situm depræhendimus.

Quæ est quinta?

Maximum vsum habet Meridianus in supputandis locorum distantijs, quæ vel sola longitudine, vel sola latitudine, vel etiam vtraq; dimensione differunt: de quibus infrà.

VI.
DE HORIZONTE.

Quid est Horizon?

Est circulus magnus ad motum Sphæræ immobilis, vndiq; æqualiter à puncto verticali, super

per quo describitur, distans, i apparentem mundi partem ab occultata dirimit.

Vnde dicitur Horizon?

Ab ὁρίζομαι, quod est certis limitibus definio: quia conspectam mundi partem ab altera latente determinat.

Quot sunt Horizontes?

Tot sunt, quod Zenith seu puncta verticalia versus omnes mundi plagas discerni possunt. Cum igitur cuiq; loco sit suum Zenith, sequitur cuiq; loco esse etiam proprium Horizontem à puncto illo, quem polum Horizontis vocant, vndiquaq; æqualiter distantem.

Quomodo diuiditur Horizon?

Bifariam: Primum in Horizontem { Rectum & Obliquum

Quid est Horizon rectus?

Horizon rectus seu Sphæræ rectæ est, qui per polos mundi transit, & cum æquinoctiali angulos rectos constituit.

Quid est Horizon obliquus?

Horizon obliquus seu Sphæræ obliquæ est, cuius plano vterq; polorum mundi non incumbit, sed alter eleuatus conspicitur, alter depressus sub Horizonte latet. Et dicitur Obliquus, quia cum æquatore angulos inæquales seu obliquos constituit.

Quæ

Quæ est secunda diuisio Horizontis?

Horizon etiam diuiditur in { *Rationalem* & *Sensibilem*

Quid est Horizon Rationalis?

Est is, quem supra definiuimus, dirimentem totam mundi machinam in duo æqualia hemisphæria, quorum id, quod supra nos est, perpetuò conspicitur, alterum verò occultatur.

Vnde dicitur Rationalis Horizon?

Quia tantum ratione seu mente percipitur, cum nullius hominis oculorum acies ad extremū vsq; cœlum & terram circumquaq; excurrat & pertingat: à quibusdam Artificialis dicitur, quod beneficio artis Astronomicæ iuuentus sit.

Quid est sensibilis?

Est terræ spacium rotundum, quod in plano & patenti campo, aut mari, oculorum acies circumscribit, & complectitur.

Quare dicitur sensibilis?

Quia sensus, seu acies oculorum terminum eius in plana terra constituit.

Quantus est Horizon sensibilis?

Visus noster in planicie terræ vel maris, montibus aut alijs rebus non impeditus, vltra communia miliaria germanica circiter quatuor se non extendit. Diameter igitur huius erit 8 milia-

miliarium. Nunc si eius ambitum seu circumferentiam cognoscere cupis: operaberis iuxta rationem supra in fine primi libri traditam, & proueniet 25 $\frac{1}{2}\frac{1}{7}$ milia: sensibilis Horizontis circumferentia.

Quot sunt vtilitates Horizontis?

Sex.

Quæ est prima?

Separat cæli medietatem superiorem & conspicuam, ab inferiore & latente.

Quæ est secunda?

Stellis orientibus & occidentibus metam præfigit, ostenditq; quæ sint perpetuæ apparitionis, & quæ perpetuæ occultationis.

Quæ est tertia?

Seruit ad peruestigandos ortus & occasus omnium stellarum & signorum Zodiaci.

Quæ est quarta?

Distinguit sphæram rectam & obliquam.

Quæ est quinta?

Determinat quantitatem cuiuslibet diei & noctis artificialis.

Quæ est sexta?

Determinat poli eleuationem & æquatoris, atq; hoc modo etiam latitudinem loci quæ eleuationi poli perpetuò æqualis est.

DE QVATVOR MINOribus circulis.

VII. ET VIII. DE TROPICIS.

♋ & ♑

Qui vocantur Tropici?

Duo minores circuli paralleli seu æquidistantes, quorum circumferentiæ describuntur à Sole in punctis Solstitialibus seu Tropicis constituto, & motu primi mobilis circumacto.

Quot sunt Tropici?

Duo, quorum alter Tropicus { Cancri seu æstiuus / Capricorni seu Brumalis } dicitur.

Quid est Tropicus Cancri?

Est circulus minor, quem Sol principium ♋ ingressus, & diurno primi cœli motu conuersus, describit.

Vnde dicitur Tropicus ♋?

A situ. Describitur enim per primum punctum ♋. Estq; limes itineris Solis, eiusq; maximæ declinationis versus Septentrionem, quem describit Sol, cum vertici nostro proximus est.

Quid est Tropicus ♑?

Est circulus minor, qui versus meridiem vltimò

vltimò descriptus est à Sole, raptu primi mobilis circumacto.

Vnde dicitur Tropicus ♑?

Etiam à situ. Ducitur enim per principium ♑. Estq; limes maximæ declinationis Solis versus meridiem, & remotissimi eius recessus à nobis.

Quare dicuntur Tropici?

A τροπέω, id est conuerto, quia quando Sol peruenit ad illa puncta Solstitialia, per quæ Tropici describuntur, tunc maximam habet declinationem ab æquatore, ad quem iterum cursum suum flectit.

Quæ est distantia Tropicorum ab Æquatore?

Vterq; Tropicorum pari quantitate ab æquatore perpetuò distat, videlicet 23 graduum & 30 minutorum spacio, quibus duplicatis, prodit distantia mutua vtriusq; tropici inter se, nempe 47 graduum.

Quot sunt officia seu vtilitates Tropicorum?

Quatuor.

Quæ est prima?

Ostendunt loca Ecliptica, in quibus Solis conuersiones seu maximæ declinationes fiunt.

Quæ

Quæ est secunda?

Ostendunt in omni sphæræ situ diem longissimum, & diem breuissimum, eorumq́; quantitatem.

Quæ est tertia?

Includunt viam Solis certis quasi limitibus versus Septentrionem, & Meridiem, quos Sol non egreditur.

Quæ est quarta?

Concludunt sua distantia Zonam torridam, eamq́; à duabus temperatis separant.

IX. ET X.

DE POLARIBVS.

Quid sunt Polares circuli?

Sunt minimi circuli vicini polis mundi, à quibus æqualiter vndiquaq́; distant, & à polis Zodiaci motu diurno describuntur. Ideo etiam Polares dicuntur.

Quot sunt Polares?

Duo { *Arcticus & Antarcticus.* }

Quid est polaris Arcticus?

Est circulus minor, quem polus Zodiaci Septentrionalis circa polum arcticum diurno cœli motu ductus, describit.

Vnde

Vnde dicitur Arcticus?

Ab ἄρκτος, id est, vrsa cœlesti, quam complectitur, & ab eius pede priore describitur: vnde & polus mundi Septentrionalis Arcticus dicitur, cui hic circulus vicinus est & æquidistans.

Quid est polaris Antarcticus?

Est circulus minor, qui ab altero Zodiaci polo Meridionali, circa mundi polum austrinum, motu diurno cœli describitur.

Quare dicitur Antarcticus?

Ab Antarctico mundi polo, à quo tanto quo prior, interuallo abest: & dicitur Antarcticus, quasi oppositus arctico. Hic in Sphæra obliqua plerunq; sub Horizonte latet, quando videlicet Eleuatio poli maior fuerit 23 gradibus.

Quare Zodiacus habet proprium axem & polum?

Quia est obliquus circulus, tanto interuallo polos suos à mundi seu Æquatoris polis remouens, quanto vtraq; sua medietate ad maximam declinationem ab æquatore discedit, seu distat.

Quæ est igitur distantia polorum Zodiaci à polis mundi siue Æquatoris?

Tanta est, quanta maxima Solis declinatio, quam supra diximus esse 23 graduum & 30 minutorum. Cum enim tanto interuallo Zodiaci seu

Eclipticæ

Eclipticæ medietates ab æquatore vtrinq; distent, sequitur polos etiam Zodiaci ab æquatoris polis eodem interuallo remoueri. Nam poli à medietate sui circuli per quartam eius partem perpetuò distant, vbicunq; etiam sumantur.

Quot sunt officia seu vtilitates Polariũ?

Tres.

Quæ est prima?

Ostendunt polos Zodiaci, & distantiam eorum à polis mundi siue æquatoris.

Quæ est secunda?

Distinguunt Zonas frigidas à temperatis.

Quæ est tertia?

Polares vna cum Tropicis tàm cœlum quàm terram, in quinq; regiones diuidunt, quas Zonas vulgò vocant.

DE ZONIS.

Quid est Zona?

Zona est latior & orbicularis ambitus seu tractus in cœlo, vel terra, inter duos proximos minores æquidistantes circulos, aut inter circulos minores & polos mundi compræhensus.

Vnde dicitur Zona?

Zona latinis cingulum, dicitur ἀπὸ τοῦ ζωννύω, quod est cingo. Cingunt enim & ambiunt cùm cœlum, tùm terram totam, eamq; in certas plagas habitationi animantium commodas, & minus commodas distinguunt.

Quot

Quot sunt Zonæ & quotuplices sunt?

Quinq; : Media seu torrida, Duæ temperatæ & duæ Frigidæ seu extrema.

His quinq; Zonis totum cœlum ita distinguitur, vt totidem eis in terra spacia distincta respondeant: Quæ igitur in conuexo cœli imaginatione quatuor minorum circulorum beneficio describuntur, COELESTES dicuntur, & causa sunt TERRESTRIVM, quas Cosmographi in superficie terreni globi cœlestibus directè subiectas & proportione respondentes constituunt, iisdemq; limitibus includunt.

Quæ est Media seu Torrida, & quanta est eius latitudo?

Zona torrida est illud spacium, quod in medio sui complexu æquatorem habet, & inter duos tropicos continetur: cuius latitudo est 47 graduum, qui multiplicati per 15 (totidem enim miliaribus germanicis vnus gradus in cœlo respondet) producunt 705, mil. germanica in latitudine terrenæ torridæ.

Quare dicitur Torrida?

Torrida dicitur, quòd perpetuò à sole vratur & torreatur propter maximos æstus & perpetuos calores, quos habet ex propinquitate Solis, inter Tropicos obliquo tramite semper decurrentis: Vnde & minus commoda habitationi animantium

esse creditur. Ptolomeus lib: 2. de proprietatibus parall:

Quæ dicuntur temperatæ: & quæ est earum latitudo?

Duæ proximæ, quæ vtrinq; vltra tropicos ad polares vsq; extenduntur ad latitudinem 43 ferè graduum: miliarium verò germa: 645. Tanta est enim distantia tropici vtriusq; ab extremis arcticis seu polaribus circulis.

Quare dicuntur temperatæ?

Quia calore torridæ, & frigore extremarum Zonarum ita temperantur, vt mitiorem & temperatam aëris constitutionem animantibus præbeant, licet vtrinq; in extremis locis intemperiem atq; iniuriam viciniarum intemperatarum Zonarum experiantur.


Quomodo distinguuntur illæ?

Vna, quæ in medietate Septentrionali inter Tropicum ♋ & circulum Arcticum continetur, quam nos incolimus, Septentrionalis dicitur. Altera verò in medietate Meridionali inter Tropicum ♑ & circulum polarem antarcticum contenta Meridionalis dicitur.

Quæ sunt Frigidæ?

Duæ extremæ vtrinq; a temperatis ad polos mundi vsq; spectantes, quarum Diameter seu latitudo est 23 graduum 30 minutorum, quæ multiplicata reddunt communia milliaria 352 $\frac{1}{2}$.

Quomodo distinguuntur?



Quæ in plaga Septentrionali inter circulum arcticum & polum arcticum continetur, Septentrionalis siue Borealis dicitur. Altera, cuius latitudo sumitur à polari Antarctico vsq; ad mundi polum antarcticum, Austrina, seu Meridionalis appellatur.

Quare dicuntur Frigidæ & inhabitabiles?

Quia perpetuo frigore infestantur & caligine horrent propter remotionem à Sole, maximè autem in locis polis viciniorib us.

Quomodo deprehenduntur loca in quibus Zonis sint sita?


Ex eleuatione poli.

Quæ loca sunt sub torrida Zona?

Quibus vterq; polorum incumbit Horizonti; id est, sub Sphæra recta habitant, & æquinoctialem

lem habent verticalem, præcisè medium torridæ Zonæ obtinent. Qui verò polum 23 grad. eleuatum habent, in limite torridæ zonæ habitant. Vnde facilè colligitur, cum eleuatio poli fuerit maior, 23 graduum & 30 minut. locum istum esse in torrida Zona.

Distinctio & distributio Zonarum cœlestium & terrestrium.



Qui inhabitant Temperatam Zonam?

Qui eleuationem poli habent 24 graduum, habitant in primo aditu temperatæ Zonæ.

Quibus polus eleuatus est 45 grad. habitant in medio.

Quibus verò præcisè est graduum 66 & 30 minutorum habitant in finibus temperatæ Zonæ.

Qui sunt incolæ Frigidæ Zonæ?

Qui polum eleuatum habent 67 grad. habitant in principio frigidæ Zonæ.

Quando eleuatio poli fuerit 83 grad. 30 minu. locus iste erit in medio Zonæ frigidæ,

Quando eleuatur per integram quartam partem, id est, 90 grad. Locus iste est in limite frigidæ Zonæ & præcise polo mundi subiectus.

Ex his facilè intelligi potest, quæ loca, in quibus Zonis sint sita, modò eius loci latitudo seu eleuatio poli, quod idem est, cognita fuerit.

De qualitatibus & proprietatibus singulorum locorum & eorum inhabitantium, infrà dicetur in fine tertij libri.

Quæ sunt vtilitates Zonarum?

Tres.

Quæ est prima?

Ostendunt quæ partes terræ habitari possint, & quæ non possint.

Quæ est secunda?

Docent naturas & mores gentium in singulis terræ

lis terræ locis, qui plerunq́ sequuntur aëris constitutionem seu temperamentum.

Quæ est tertia?

Cognitio Zonarum necessaria est ad Geographicos & Cosmographicos locos in omnibus autoribus intelligendos & rectè explicandos.

FINIS SECVNDÆ PARTIS.

LIBER TERTIVS DE ORTV ET OCCASV

STELLARVM FIXARVM, DE ASCENSIONIBUS partium Zodiaci earumq́ vsu.

Quid est ortus signi?

EST *ascensio seu apparitio astri supra horizontem.*

Quid est occasus astri?

Est descensio seu occultatio astri infra horizontem.

Quotuplex est ortus & occasus?

Duplex { *Poëticus* & *Astronomicus* }

De ortu & occasu Poëtico.

Quid est ortus & occasus Poeticus?

Est astri seu stellæ relatio quædam ad Solem, vnà vel ex aduerso orientem vel occidentem.

Quotuplex est ortus & occasus Poëticus?

Pro triplici varietate, quam stellæ respectu Solis orientis vel occidentis, vel etiam certo interuallo accedentis vel recedentis, sortiuntur: triplex etiã differentia ortus & occasus constituitur.

Nempe { Cosmicus siue Matutinus. / Acronycus siue Vespertinus. / Heliacus siue Solaris.

Quare has ortuum et occasuum differentias Poëticos ortus & occasus appellant?

Quia Poëtæ frequenter in descriptionibus temporum illis vtuntur.

Quot sunt sydera, seu signa cœlestia quorum ortus & occasus obseruantur?

Etsi multitudo stellarum fixarum certo numero compræhendi non potest: tamen veteres Astronomi, maximè insignes & conspicuas stellas 1022 numerarunt easq; in 48 imagines collegerunt, vt & agnosci, facilius discerni & peculiaribus nominibus insigniri possent. Reliquas verò ad imaginum formas nihil conferentes, ἀμόρφωτυς i. e. informes appellarunt.

Quomodo distinguuntur hæc signa?

In Septentrionalia 21, quæ ab Ecliptica in Boream vergunt.

In 12 Zodiaci, quæ in Zodiaco conspiciuntur. Et in meridionalia 15, quæ in Meridiem ab Ecliptica recedunt.

Quæ

Quæ ſunt nomina ſignorum cæleſtium?

Quæ in his verſiculis continentur.

Ad Boreæ partes, Arcti iunguntur & Anguis,
Poſt has Arctophylax pariterq́ Corona, Genuq́
Prolapſus, Lyra, Auis, Cepheus, & Caßiopeia,
Auriga & Perſeus, Deltoton, & Andromedæ aſtrum, (guitenensq́.
Pegaſus & Delphin, Telum, hinc Aquila, An-
Signifer inde ſubeſt, bis ſex qui ſydera complet.
Hic Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
Libraq́, Scorpius, Arcitenens, Capricornus & Vrnam (ſtri:
Qui tenet, & Piſces. Hi ſunt in particus Au-
Orion, Procyon, Lepus; ardens Sirius, Argo,
Hinc Chiron, Hydrus, Crater, Coruus, Fera, Piſcis.
Cum Piſtrice, Corolla, Ara, Eridianiq́ fluenta.

Quare artifices tàm diuerſa & varia nomina ſyderibus impoſuerunt?

Primùm, vt gratitudinem ſuam probarent Aſtronomiæ cultoribus & patronis, quorum nomina inter ſydera retulerunt, & hoc pacto immortales reddiderunt. Vt Atlantides, Orion, Hercules, Perſeus, Cepheus &c.

Deinde, propter ſimilitudinem figurarum, quas conſtellationes quædam repræſentare videntur. Vt Draco, Plauſtra, Deltoton, Eridanus &c.

Postremò, propter naturæ conuenientiam & vim peculiarem, quam in afficiendis corporibus inferioribus stellas habere, experientia comprobauit, vt Pleiades, Hyades, canis, sub cuius ortu canes plerunq; in rabiem aguntur &c.

I.
DE PRIMA SPECIE Ortus & Occasus Poëtici.

Quid est ortus Cosmicus?

Est astri vnà cum Sole supra Horizontem eleuatio, quod tamen propter lumen Solare cerni non potest, vt Sole existente in 1 ♈ manè vnà cum Sole caput arietis supra Horizontem eleuatur: ita quotidie quædam stellæ cum Sole ascendũt, quæ Cosmicè oriri dicuntur, licet propter vicinitatem Solis eiusq; claritatem conspici nequeant.

ADMONITIO.

Obseruabis autem omnia Exempla ortuum & occasuum, sicut etiam inuestigationum dierum & noctium artificialium, in hoc compendio, accommodata esse ad eleuationem poli grad. 51.

Quid est occasus Cosmicus.

Est matutina astri sub Horizontem occidentalem descensio, sole è regione ascendente. Vt Sole cum 11 grad. ♈ exoriente, in opposita parte stella primæ magnitudinis, quæ Spica ♍ dicitur, horizontem

rizontem occidentalem ſubit: Ita quotidie Sole aſcendente, in oppoſito loco ſtellæ quædam deſcendunt, quod Coſmicè occidere dicitur.

Porrò fiunt ortus & occaſus Coſmicus eodem tempore. Vt enim manè cum Sole exoriente quotidie aliquæ ſtellæ ſupra Horizontē orientalem eleuantur: Ita in oppoſita parte quædam infra Horizontem occidentalem eo ipſo tempore in reuolutione cœli, deprimuntur & occultantur: vt cum 1 gradu ♋, pes Gemini præcedentis Coſmicè eleuatur: Econtrà Arcturus Stella in plaga occidentali deprimitur: illud oriri, hoc occidere Coſmicè dicitur.

Vnde dicitur Coſmicus?

Sic dicitur recepta appellatione quaſi Mundanus, quia extremi cœli motu Solem & reliquas ſtellas omnes ſupra Horizontem euehentis, vel ex aduerſo deprimentis, perficitur. Vel quòd eiusmodi ſtellarum aſcenſiones & deſcenſiones in aëre & rebus naſcentibus efficaciſſimæ ſunt.

Vocatur etiam hic ortus & occaſus Matutinus, à tempore, quo vnà cum Sole Sydus aliquod eleuatur, vel in oppoſita parte deprimitur.

Exempla

Exempla ortus & occasus Cosmici ex sequenti tabula, vel infrà ex Calendario petantur.

TABVLA CONTINENS gradus Eclipticæ, cum quibus Stellæ insigniores oriuntur & occidunt ad Horizontem 51 graduum.

COSMICE.

Ascendunt	Descendunt.
Vnà cum Sole tenente signi gradum cum quo emergunt.	E regione Solis exorientis cum oppositi signi gradu.

ACRONYCE.

Ascendunt	Descendunt.
E regione, seu in opposita Solis occidentis parte.	Vnà cum Sole occidente.

Cum

	Ascendunt		*Descendunt.*	
	Cum grad: ♈		*Cum* ♎ *grad.*	
1	*Cornu Arietis*	E regione	*Caput* ♌	1
11	*Aurigæ brachiũ*		*Spica* ♍	11
13	*Sinister Pes Persei*			13
29	*Cauda Notij*		*Cauda* ♌	29
	♉		♏	
1	*Pes sinister Aurigæ*		*Nouißima in cingulo* ♏	1
3			*Cauda* ♏	3
7	*Pleiadum minima*	E regione		7
10	*Pleiades*			10
11	*Cauda* ♈		♎ *Australis*	11
16			*Cingulum Andro.*	16
21	*Pes dexter Auriga*		*Vindemiator*	21
22	*Nouißima in cauda ceti*		*Cor Scorpij*	22
26	*Pistrix*		*Pes sinister* ♍	26
	♊		♐	
3	*Notius*		*Lucida* ♎ *borealis*	3
11	*Venter ceti*			11
12	*Hyades*	E regione	*Telum Sagittarij*	12
14	*Oculus Tauri*		προτρυγητης	14
24	*Genua* ♉		*Genu Ophiuchi*	24
27	*Caput & humerus* ♊ *præced*			27
	♋		♑	
1	πρόπους ♊ *præce.*		*Arcturus*	1
9	*Caput* ♊ *sequent.*		*Oculus Sagittarij*	9
10	*Orionis hum. sinis.*			10

15 Ori-

	Ascendunt Cum grad. ♋		*Descendunt.* Cum grad. ♑	
15	Origimis hu. dexter		Collum serpentis	15
19	Cingulum Orionis		Ophiuchi hum. sin.	19
21	Balthei media	E regione	Cingulum Boot.	21
22	Orionis pes sinist.		Ophiuchi hu. dex.	22
23	Extrema Balthei			23
24	Orionis ensis		Crus ♑	24
26			Caput Herculis	26
27	Auriculæ leporis		Lucida Coronæ	27
29	Asellus Boreus		Stella in fronte ♑	26
30	Caput Sirij		Caput Ophiuchi	30
	♌		♒	
1	Cancer		Venter Notij	1
2	Præsepe			2
3	Asellus Austrinus		Caput ♑	3
5	Canicula	E regione	Nouissima Coronæ	5
6			Notius	6
16	Cauis maior		Cauda & rostrum	16
17	Ceruix ♌		(Aquilæ	17
18			Aquila	18
23	Basiliscus		Crus ♒	23
26	Lucida in tergo ♌		Præcedens in Sagi.	26
29			Delphinus	29
	♍		♓	
1	Venter Sirij		Sagitta	1
5	Lucida Hydræ		Delphini ceruix	5
6			Cygni rostrum	6

Cauda

	Ascendunt		Descendunt.	
	Cum grad. ♍		Cum grad. ♓	
8	Cauda Sirij	E regione		8
9	Cauda Le nis		Palma ♒	9
11			Caput Pegasi	11
19			Piscis meridio.	19
25				15
27	Vindemiator		Vngula Pegasi	27
29	Arcturus			29

	Oriuntur		Occidunt.	
	Cum grad. ♎		Cum grad. ♈	
1	Crater	E regione	Ala Pegasi	1
5	Lucida Coronæ		Venter ceti	5
12			Crus Pegasi	12
15	Coruus		Vngula Pegasi	15
19	Spica virginis			19
25	Hum. Herculis		Piscis Borealis	26
27			Caput Adrom.	27
	♏		♉	
1	Pes sinis. ♍	In parte opposita	Andromedæ scap.	1
8	♎ Borealis		Caput piscis Bor.	9
9	♎ Australis		Pes Orionis	13
13			Deltoton	15
14	Palma Ophiuchi		Andromedæ cing.	16
16			Ensis Orionis	20
20	Caput Centauri		Sirius	24
24	Humerus serpēt.		Hyades	26
27	Scorpius		Oculus ♉ & sinis.	29

29 Me-

	Oriuntur		Occidunt.	
	Cum grad. ♏		Cum grad. ♉	
29	Media frontis ♏		Imm. Orionis	29
	♐		♊	
1	Sagittæ præcedens	In loco opposito	Hyadum extrema	1
5	Sagitta		Orionis hum.dext.	5
8	Cor Scorpij		Persei sinis. pes	8
13	Aquila			13
20	Delphinus		Crus Persei	20
21	Pegasi pedes			21
22			Pedes ♊ sequ.	22
25	Arcus Sagit.		Canicula	25
26			Pedes ♊ præced.	26
	♑		♋	
1	Crus Pegasi	E regione		1
5	Caput Sagittarij			5
6			Genua geminorum	6
7			Caput Hydræ	7
9			Hydræ lucida	9
14	Andromedæ caput			14
15	Caput Aquarij		Dorsum Hydræ	15
16	Cingulum Andro.			16
22	Ala Pegasi			22
25	Scapulum Andro.			25
26			Humeri ♊	26
27			Caput corui	27

Caput

	Oriuntur		Occidunt.	
	Cum grad. ♒		Cum grad. ♌	
1	Caput piscis Bore.	E regione	Cancer	1
2			Asellus Austrinus	2
3			Præsepe	3
5	Deltoton		Caput ♊ sequent.	5
7	Palma Aquarij		Asellus Boreus	8
9			Caput ♊ præced.	9
13	Brachium Andro.			13
18	Piscis Australis			18
20	Vrna Aquarij		Coruus	20
24	Extrema in △		Cor Leonis	24
	♓		♍	
5		E regione	Leonis os	5
7	Piscis merid. cauda			7
15	Crus Persei		Crura Leonis	16
18	Aquarij genua			18
24			Ceruix Leonis	24
28	Crus Aquarij			28

II.

DE SECVNDA SPECIE ortus & occasus Poëtici.

Quid est ortus ACRONYCHVS.

Est ascensio stellæ siue astri vespertina, sole è regione descendente, vt circa occasum Solis existentis in 5 gradu Aquarij, cum oppositi ♌ signi gradu 5 eleuantur supra horizontem orientalem Canicula & caput Leonis. Quid

Quid est occasus Acronychus?

Est vespertina astri descensio vnà cum Sole occidente. Vt vnà cum Sole existente in 29 gradu ♉ descendunt Acronycè Oculus Tauri, Pleiades, Sinister humerus Orionis, eiusq; ceruix &c.

Quare hîc ortus & occasus dicitur Acronychus?

Sic dicitur recepta appellatione à græcis quasi ortus & occasus, qui fiunt sub initium noctis. Nam græcis ἄκρον initium seu terminus, νὺξ νυκτὸς nox dicitur. Latinis est Vespertinus, ortus & occasus: quia fiunt vesperi sub occasum Solis, cum quo, dum aliquæ stellæ occidunt, è regione in opposita parte orientali quædam emergunt, & per totam noctem conspicuæ sunt. Vt vnà cum sole tenente 5 grad. ♊, vesperi cum ☉ descendunt, Humerus dexter Orionis, & frons tauri: E regione verò supra Horizontem orientalem cum 5 grad. oppositi signi ♐ eleuantur, Sagitta & genu Ophiuchi: hæc oriri, illa occidere acronycè dicuntur.

Exempla, ex Tabula præcedente petantur.


III.

DE TERTIA SPECIE ortus & occasus Poëtici.


Quid est ortus HELIACVS?

Est apparitio stellæ seu signi, quod antea

propter



propter vicinitatem Solis, conspici non poterat. Vt sole existente in 20 grad ♊. oriuntur Pleiades heliacè, id est, liberatæ radijs solaribus, manè paulò ante ortum solis supra Horizontem orientalem incipiunt conspici.



Quid est occasus Heliacus?

Est occultatio stellæ seu astri incurrentis in radios Solares, quibus aliquantisper tecta latet, nec post occasum Solis, vt antè, conspicitur, donec liberata radijs Solis longius ab ea discedentis, denuò conspicitur. Vt Sole attingente 10 grad. ♍ occidit Heliacè cauda Leonis, id est, propter fulgorem accedentis Solis, post eius occasum cerni desinit, quæ ante paucos dies Sole occidente, conspicua fuerat supra Horizontem occidentalem.

Vnde dicitur Heliacus ortus & occasus?

Sic dicitur quasi Solaris: Nam ἥλιος græcis Sol est, cuius accessu & recessu ad certum interuallum seu graduum numerum, Stellæ modò occultantur seu obscurantur; modò conspiciuntur.

Quomodo fit ortus & occasus Heliacus?

Etsi Sol quotidie motu primi mobilis circa terram ab oriente in occasum maxima celeritate rapitur: nihilominus tamen Sol proprio motu vnum ferè gradum quotidie absoluit in Ecliptica, contra motum primi cœli, ab occidente in orien-

tem, atque ita subinde alias atque alias in itinere suo stellas assequitur & fulgore suo excœcat & occultat, quas post aliquot dies prætergressus, rursus conspiciendas reliquit: hoc oriri, illud occidere heliacè est.

In quanta à Sole distantia stellæ tegi vel conspici incipiunt?

Pro diuersitate magnitudinis stellæ maiorem vel minorem requirunt distantiam in apparitione & occultatione.

Nam lucidißimæ, magnitudine ac splendore reliquas superantes, vt sunt primæ & secundæ magnitudinis stellæ, interuallum 12 vel 13 graduum requirunt à Sole, vt appareant vel dispareant.

Minores verò, vt sunt tertiæ vel quartæ magnit: dißidentes à Sole 14 vel 15 gradibus tegi vel conspici incipiunt.

Minutißimæ autem, vt sunt quintæ & sextæ magnitudinis, distantiam 16 vel 17 gra. requirunt.

Exempla

Exempla ortus et occasus Heliaci pete ex sequente tabula.

HELIACE.

Oritur Cum grad.			Occidit Cum grad.	
♈	1	*Caput piscis Borealis*	18	♈
♈	2	*Caput piscis Meridio.*	3	♓
♈	8	*Vrna Aquarij*	13	♒
♈	15	*Caput Medusæ*	23	♉
♉	15	*Humerus sinis. Aurigæ*	28	♊
♉	15	*Caput Arietis*	18	♈
♉	25	*Capella*	17	♊
♊	10	*Hœdi*	13	♊
♊	11	*Hum. dexter Aurigæ*	1	♋
♊	20	*Pleiades*	9	♉
♋	5	*Venter Ceti*	19	♓
♋	4	*Hyades*	10	♉
♋	6	*Oculus Tauri*	15	♉
♋	17	προπους	5	♊
♋	18	*Brachium Gem. præced.*	29	♊
♋	22	*Humerus eius*	28	♊
♋	22	*Genu præced.* ♊	15	♊
♋	25	*Caput Gem. præced.*	5	♋
♋	26	*Sinist. hum. Orionis*	15	♉
♋	30	*Dexter hum. Orionis*	22	♉

HELIACE.

Oritur. Cum grad.			Occidit. Cum grad.	
♋	30	*Pes sequent.* ♊	6	♊
♌	1	*Caput Gem. seq.*	3	♋
♌	3	*Cingulum Orionis*	10	♉
♌	7	*Pes Orionis*	30	♈
♌	15	*Cancer*	1	♋
♌	17	*Asellus Boreus*	8	♋
♌	19	*Canicula*	10	♊
♌	20	*Præsepe*	4	♋
♌	21	*Asellus Austrinus*	5	♋
♍	1	*Sirius*	10	♉
♍	2	*Caput Hydræ*	20	♊
♍	5	*Ceruix Leonis*	8	♌
♍	8	*Basiliscus*	24	♋
♍	13	*Lucida in tergo* ♌	5	♍
♍	17	*Comæ Berenices*	5	♍
♍	20	*Lucida Hydræ*	20	♊
♍	24	*Cauda Leonis*	10	♍
♎	5	*Stella in oculo* ♍	30	♌
♎	10	*Bootæ tergum*	23	♐
♎	13	προτρυγητης	15	♏
♎	14	*Vindemiator*	10	♎
♎	15	*Arcturus*	6	♐
♎	16	*Lucida in cratere*	15	♋
♎	23	*Lucida coronæ*	5	♑

♏ 5

HELIACE.

Oritur Cum grad.			Occidit. Cum grad.	
♏	5	*Spica Virginis*	30	♌
♏	13	*Fidicula*	22	♒
♏	23	♎ *Borealis*	1	♏
♏	16	♎ *Austrina*	26	♍
♏	25	*Capus Herculis*	9	♑
♐	1	*Caput Ophiuchi*	12	♑
♐	5	*Cygnus*	10	♓
♐	10	*Rostrum Cygni*	15	♒
♐	25	*Sagitta*	14	♒
♑	2	*Aquila*	3	♒
♑	6	*Delphinus*	12	♒
♑	10	*Cor Scorpij*	18	♍
♒	2	*Crus Pegasi*	25	♓
♒	27	*Caput Andromedæ*	8	♈
♓	1	*Ala Pegasi*	14	♓
♓	21	*Palma Aquarij*	23	♒

Quomodo tempus aliquod stellæ exortu vel occasu describendum est?

Primùm omnium descripturo aliquod tempus per ortum vel occasum insignis Stellæ exploranda est eleuatio poli, seu Horizon illius loci, in quo ortus & occasus obseruantur.

Deinde, quærat is ex tabula introitus ſolis in 12 ſigna Zodiaci, locum ſeu gradum Eclipticæ, quem Sol eo die tenet, noſtra ætate, quam inſequenti pagina deſcriptam reperiet.

Tandem, cum illo Solis loco ingrediatur tabulas præcedentes, continentes gradus Eclipticæ, cum quibus ſtellæ inſigniores ad noſtrum Horizontem oriuntur vel occidunt, & inde (vel etiam ex globo Aſtronomico) eligat ſibi illam ſpeciem ortus vel occaſus alicuius ſtellæ, per quam eius diei tempus deſignare voluerit.

Da Exemplum.

Naſcitur quis die 12 menſis Martij in hoc noſtro vel aliquo vicino oppido, cuius natalicium tempus deſcripturus per alicuius ſtellæ inſignis ortum aut occaſum, primum quærat locum Solis in Ecliptica. Cognoſcet autem ex Calendario ſeu ex ſequẽti tabulà introitus Solis in 12 ſigna Zodiaci noſtro tempori conueniente, Solem illa ipſa die tenere 1 gradum ♈. Deinde cum illo loco Solis ingrediatur tabulas continentes gradus Eclipticæ, cum quibus ſtellæ ad noſtrum Horizontem oriuntur & occidunt, fol: 67: & inueniet cum 1 gradu ♈ Coſmicè oriri cornu Arietis: econtrà deſcendere caput ♌, item feram.

Acronycè verò Craterem aſcendere, & alam Pegaſi tunc cum Sole deſcendere: illo ipſo etiam tempore capita piſcium ante ortum Solis

manè


manè incipere conſpici, quod Heliacè oriri dicitur. Nã ab his ſpacio 13 vel 14 graduum Sol digreſſus, facit, vt ea denuò paulò ante Solis ortum cõſpiciantur, quæ ſuperioribus diebus propter Solis vicinitatem non apparuerunt. Ex his ſibi nunc eligat ſpeciem ortus ſeu occaſus alicuius ſtellæ, quæ deſcriptionem temporis maximè illuſtrem redditura ſit. Ad hunc modum quoduis tempus ſtudioſus adoleſcens ortu & occaſu ſtellæ, ſine magno labore & moleſtia, illuſtrare & iudicare poterit.

TABVLA CONTINENS INTROITVM SOLIS IN XII. SIGNA Zodiaci ad ſingulos dies anni, noſtro tempori conueniens.

Dies	Ianu. ♈	Febr. ♒	Mart. ♓	Apri. ♉	Maij ♉	Iun. ♊
1	21	22	20	21	20	20
2	22	23	21	22	21	21
3	23	24	22	23	22	22
4	24	25	23	24	23	23
5	25	26	24	25	24	24
6	26	27	25	26	25	25
7	27	28	26	27	26	26
8	28	29	27	28	27	27
9	29	30	28	29	28	28
10	30	Pisces.	29	30	29	29
11	Aquar	2	30	Taurus	30	30
12	2	3	A ries	1	Gem.	Canc.
13	3	4	2	2	1	1
14	4	5	3	3	2	2
15	5	6	4	4	3	3
16	6	7	5	5	4	4
17	7	8	6	6	5	5
18	8	9	7	7	6	6
19	9	10	8	8	7	7
20	10	11	9	9	8	8
21	11	12	10	10	9	9
22	12	13	11	11	10	10
23	13	14	12	12	11	10
24	14	15	13	13	12	11
25	15	16	14	14	13	12
26	16	17	15	15	14	13
27	17	18	16	16	15	14
28	18	19	17	17	16	15
29	19		18	18	17	16
30	20		19	19	18	17
31	12		20		19	

Iul. ♋	Aug. ♌	Sept. ♍	Octob. ♎	Noue. ♏	Decēb. ♐
18	18	19	18	18	19
19	19	20	19	19	20
20	20	21	20	20	21
21	21	22	21	21	22
22	22	23	22	22	23
23	23	24	23	23	24
24	24	25	24	24	25
25	25	26	25	25	26
26	26	27	26	26	27
27	27	28	27	27	28
28	28	29	28	28	29
29	29	30	29	29	30
30	30	Libra	30	30	Capri
Leo	Virgo	1	Scorp.	Sagitt.	2
1	2	2	1	2	3
2	3	3	2	3	4
3	4	4	3	4	5
4	5	5	4	5	6
5	6	6	5	6	7
6	7	7	6	7	8
7	8	8	7	8	9
8	9	9	8	9	10
9	10	10	9	11	11
10	11	11	10	12	12
11	12	12	11	13	14
12	13	13	12	14	15
13	14	14	13	15	16
14	15	15	14	16	17
15	16	16	15	17	18
16	17	17	16	18	19
17	18		17		20

Inſtrumentum quo facilimè omnes diuerſitates ortus Poetici, oculis ſubijciuntur.



Quomodo veterum Poëtarum, hiſtoricorum, & Rei ruſticæ ſcriptorum loca intelligenda ſunt, vt aut tempus ipſum, aut ortus & occaſus ſpecies determinetur?

Veterum

Veterum loca, eadem ratione, quam iam tradidimus de obseruationibus syderum nostra ætate, explorantur & tractantur: Nisi quod locus Solis ex tabula ingressus Solis in 12 signa Zodiaci ad veterum tempora accommodata eliciatur & postea etiam adhibeatur altera tabula ortus & occasus syderum ad eleuationem Romanam, ad quam Virgilius suas temporum descriptiones: vel ad Alexandrinam, ad quam Ouidius suas descriptiones, accommodauit: vel ad vtranq; vt fit in rebus dubijs, & tum illa retinenda & sumenda, quæ proposito maximè congruere videtur.

Tabulas infra cæteris adiectas inuenies notatas literis A. & B. fol. 180 & 182. accommodatas ad tractationem exemplorum in singulis casibus prisci sæculi, quibus alij in suis libris Sphæricis vtuntur, & hic etiam adolescentes exerceri conuenit. Da exemplum?

Virgilius 1. Georgicorum inquit:

Antè tibi Eoæ Atlantides abscondantur,
Gnosiaq; ardentis decedat stella coronæ,
Debita quàm sulcis committas semina &c.

De quo casu loquitur primus versus?

Adiectiuum Eoæ, græca consuetudine pro aduerbio positum, ostendit poëtam loqui de Cosmico occasu Pleiadum, quod fit sole oriente in opposito loco. Occiderunt autem Pleiades, vt ex tabula ortuum & occasuum stellarum fixarum prisci sæculi

ſci ſæculi apparet, Romæ & Alexandriæ, cum 4 gradu ♉, Sole in oppoſiti ſigni ♏ 4 gradu oriente, quem gradum Sol obtinuit Virgilij tempore 22 Octob. ſicut infrà ex tabula introitus Solis in 12 ſigna Zodiaci ad faſtos priſci ſæculi apparet. Loquitur ergò de ſatione autumnali, quæ fiebat Romæ die ferè 22 Octob. aut circiter, quo tempore olim manè occiderunt Pleiades, Sole in oppoſito ſuo exiſtente atq; oriente.

De qua ortus vel occaſus ſpecie loquitur ſequens verſus?

Cum ex priore verſu manifeſtum ſit, Poëtam loqui de autumnali ſatione, quo tempore Sol eſt in 4 gradu ♏, de occaſu intelligi non poteſt. Nam corona occidit, vt ex tabula ortuum & occaſuum priſci ſæculi apparet, Romæ cum 2 ♑ Alexandriæ verò cum 14 ♐: atq; ita ad nullam ſpeciem occaſus commodè refertur. Igitur de ortu intelligi debet. Oritur autem Romæ cum 27 ♍, Alexandriæ cum 7 ♎. Vterq; itaq; gradus cum contra ſignorum ordinem locum Solis in principio ♏ exiſtentis ſequatur, manifeſtum eſt ipſum de ortu Heliaco loqui, quo corona manè radijs ſolaribus liberata, conſpicitur Sole infra Horizontem latente: id quod verbo Decedat ſignificare Poëta videtur per Hypallagen: Nam corona non recedit à Sole, ſed Sol ab ea.

Aliud

Aliud.

Ouidius de Ponto lib. 1. Eleg. 9.

Vt careo vobis Scythicas detrusus ad oras,
Quatuor Autumnos pleias orta facit.

De qua ortus specie loquitur?

Tempus expressum est, quia Autumni meminit, quo Sol existit in ♏. Pleiad-s autem in opposito signo, ♉ videlicet: ergò Sole vesperi cum ♏ occidente, è regione Taurus & Pleiades acronycè oriuntur.

DE ORTV ET OCCASV Astronomico.

Quid est ortus Astronomicus?

Est arcus æquatoris, qui cum dato signo Zodiaci vel eius parte, supra Horizontem orientalem ascendit, vt in nostra poli eleuatione cum toto ♈ de æquinoctiali ascendunt 13 gradus & 21 minuta, qui ascensio ♈ dicuntur.

Quid est occasus Astronomicus?

Est descensio partis æquatoris, quæ vnà cum dato signo Zodiaci vel eius parte, sub Horizontem occidentalem descendit, vt cum toto signo ♈ descendentis, respondent de æquinoctiali 42 grad. 27 min: quæ Arietis descensio dicuntur.

Quare

Quare aſcenſiones & deſcenſiones ſignorum Zodiaci non in ipſa Ecliptica, ſed in æquatore numerantur?

Quia ſolus æquator in omni Sphæræ ſitu æqualiter & regulariter oritur & occidit: Zodiaci verò partes diſsimiliter & inæqualiter, propterea quòd ſit circulus obliquus, & ſupra polos proprios moueatur.

Quæ eſt regularitas motus ſeu aſcenſionum æquatoris?

Singulis horis de ipſo oriuntur, & in oppoſita parte deprimuntur 15 gradus: In quatuor minutis horæ vnius, integer gradus: quod cum non ſimiliter fiat in Ecliptica, applicanda eſt ad æquinoctialem, vt habeatur certa Eclipticæ motus ratio.

Quare hic ortus & occaſus dicitur Aſtronomicus?

Quia Aſtronomi hunc obſeruant in deſcriptione temporis & eius partium, videlicet Annorum, dierum & horarum, quarum indices ſunt certiſsimæ æquatoris partium aſcenſiones.

Quotuplices ſunt Aſcenſiones & deſcenſiones ſignorum?

Duplices { Rectæ & Obliquæ.

Quæ

Quæ vocantur rectæ Ascensiones?

Quæ ex tabula ascensionum rectarum sumuntur, & ad Sphæram rectam congruunt.

Quæ appellantur obliquæ?

Quæ ex tabulis obliquarum ascensionum depromuntur, & ad Sphæram obliquam congruunt.

Tabulas ascensionum, cum breuioribus illis, quæ ostendunt, quæ signa rectè & quæ obliquè, in vtraq; Sphæra oriuntur, reperies infrà in fine Sphæricarum quæstionum, notatas literis: C D. E. F G. H.

Quæ signa oriuntur & occidunt rectè?

Quando plures gradus oriuntur & occidunt de æquatore, quàm de Ecliptica, vt in nostro Horizonte cum toto signo ♋, id est, 30 gradibus Eclipticæ, oriuntur de æquinoctiali 37 grad. 39 minuta. Sic cum ♈ id est, 30 gradibus Eclipticæ, descendunt de æquinoctiali 42 grad. 27 min. Ergò dico, ♋ rectè oriri, & ♈ rectè occidere quia plures gradus, quàm 30 oriuntur vel occidunt de æquinoctiali.

Quæ signa oriuntur & occidunt obliquè?

Cum in ascensione vel descensione signi pauciores

ciores gradus de æquinoctiali oriuntur aut occidunt, quàm de Ecliptica. Vt cum toto signo ♈ ascendunt de æquatore 13 gra. 21 min. cum Leone descendunt de æquinoctiali 17 gra. 25 min. Ergò dico ♈ obliquè oriri & ♌ obliquè occidere, quia pauciores gradus, quàm 30 cum illis oriuntur vel occidunt, de æquinoctiali

Quare hæc oriri & occidere dicuntur obliquè, illa verò rectè?

Quia cum obliquè oriuntur vel occidunt, signa Ecliptica & Horizon efficiunt angulos obliquiores & acutiores. Rectè verò ascendentia maiores & rectis similiores angulos conficiunt.

Vnde addiscitur ratio & varietas ascensionum in vtraq; Sphæra?

Tota doctrina de ascensionibus & descensionibus, paucis regulis compræhensa est, quæ proprietates vtriusq; Sphæræ breuiter explanant.

Dic regulas Ascensionum in Sphæra recta?

I.

Quartæ Zodiaci & Æquatoris, à punctis cardinalibus numeratæ, æquali temporis spacio, id est, 6 horis, peroriuntur.

II.

Partes verò illarum quartarum inæqualiter peroriuntur, propter variam & diuersam ipsarum declinationem seu distantiam ab æquatore (sicut

(*sicut videmus signa in quolibet quadrante habere aliam ascensionem vel descensionem.*)

III.

Signa æqualiter distantia ab vno quatuor punctorum Zodiaci cardinalium, habent æquales ascensiones. Vnd sequitur, signa opposita, in Sphæra recta, habere æquales ascensiones.

IIII.

Eadem est signi descensio, quæ est eiusdem ascensio, & cognito vno innotescit alterum, in Sphæra recta.

V.

Quatuor signa tantum oriuntur rectè, reliqua octo, obliquè oriuntur.

Tabula ostendens, quæ signa rectè & quæ obliquè oriantur in sphæra recta?

					Ascensio.		Tempus ascensionis.		
	Signa Zodiaci				G.	M.	Ho:	Mi.	Sec.
Obli-	♈	♍	♎	♓	27	54	1.	51.	36.
què	♉	♌	♏	♒	29	54	1.	59.	36.
Rectè	♊	♋	♐	♑	22	12	2.	8.	48.

Dic regulas Ascensionum in Sphæra obliqua?

I.

Duæ tantum medietates conterminales Zodiaci & æquatoris, inchoatæ à punctis æquinoctialibus, simul peroriuntur.

II.

Partes medietatum inæqualiter per oriuntur. Tria enim cuiusq; medietatis signa rectè, & tria obliquè oriuntur.

III.

Ascensio signi alicuius, est descensio signi oppositi, & econtrà: ut ♈ ascensio est 13 gra. 21 minutorum; Ergò oppositi signi ♎ descensio erit eadem.

IIII.

Signa rectè ascendentia obliquè descendunt & econtrà, obliquè descendentia rectè ascendunt. ♈ ♉ ♊ obliquè ascendunt, igitur rectè descendunt. Et ♋ ♌ ♍ obliquè descendunt, ergò rectè ascendunt.

V.

Ascensiones signorum oppositorum in sphæra obliqua, simul sumtæ, sunt æquales ascensionibus eorundem in Sphæra recta,

Tabula ostendens quæ signa rectè & quæ obliquè oriantur in sphæra obliqua ad altitudinem poli 51. Item tempus ascens:

Signa Zodiaci.		Ascensio G.	M.	Tempus ascens. H	Min:	Sec:
Obl:	♈ ♓	13	21.	0.	53	24
Obl:	♉ ♒	17	25.	1	9	40
Obl:	♊ ♑	26	45.	1.	47	0.
Re.	♋ ♐	37	39.	2.	30	36
Re.	♌ ♏	42	23.	2.	49	32
Re.	♍ ♎	42	27	2.	49	48

Alia: ad Eleuationem poli 52.

Ascensio signorum					Tempus ascens.		
		G.	M.		Ho:	Min:	Sec:
Ob:	♈	12	48	♓	0.	51	12
Ob:	♉	16	54	♒	1.	7	36.
Ob:	♊	26	29	♑	1	45	56.
Re:	♋	37	55	♐	2	31	40.
Re:	♌	42	54	♏	2	51	36.
Re:	♍	43	0	♎	2	52	0

Quomodo inuenitur temporis spacium, quo signa Zodiaci seu partes quartarum ascendunt in vtraq; Sphæra?

Ex ar u æquatoris correspondente, cuius partes i. e. gra. & minuta, in tempus commuto, hoc pacto:

Primùm multiplico gradus per 4 Mi: horæ, Nam tot minutis horæ, integer gradus vnus de Æquinoctiali perpetuò oritur.

Postea multiplico, Minuta gradib. adhærentia similiter per 4 & prouenient secunda horæ, siquidem 1 Min: gradus Æquatoris peroritur 4 secundis horæ. Ideò minuta horæ per Minuta graduum multiplicata, constituunt secunda horæ.

Tandem secunda redigo per 60 in prima & alijs eiusdem denominationis addo, collecta prima per 60 redigo in horas, & statim se offeret tempus ascensionis.

Da exemplum de ascensione recta?

Cum ♈, vt monstrat tabula, oriuntur de æquinoctiali 27 Grad., 54 Min.

Primùm multiplico, iuxta iam traditas regulas, 27 Gr: per 4 Min. horæ & proueniunt 108 Min: horarum.

Deinde multiplico 54 Min: graduum æquinoctialis similiter per 4 Min: horæ: & exurgunt 216 secunda horarum, quæ diuisa per 60 proueniunt 3 Min: & 36 sec: Postea illa 3 Min: quæ prouenerunt ex resolutione secundorum adiicio 108 Minutis, supra iuuentis, & fiunt III Minuta, hæc denique per 60 redigo in horas, & proueniunt I. Hora. 51. Min. 36 sec:

Aliud de Recta ascensione ♉.

29. G. 54 Min:
4 4
116 Min: 216. sec: 3
3. 216. (3.
60
119. 5
119 (1. Ho: 59 M: 36 sec:
69

Aliud

Aliud de ♊ ascens. Recta.

32. Gr: 12 Min:
4. 4.
128 Min: 48 sec:

128 (2 Horæ 8 Min: 48 sec:
60

Quomodo indagatur tempus ascensionis alicuius signi, in Sphæra seu ascensione obliqua?

In ascensionibus obliquis eodem modo procedo. Ingredior tabulam ostendentem gradus & minuta æquinoctialis, quæ cum dato signo Zodiaci, sub certa poli altitudine, emergunt, eaq; iuxta communes regulas, modò traditas, conuerto in horas & earum minuta, inde statim tempus ascensionis præcisè se offeret.

Da exemplum in Ascensione obliqua ad eleuationem poli 51.

Cum Ariete tantum prodeunt de æquatore 13 Gr: 21. Min: vt ostendit tabula. gradus 13 multiplico per 4 Min: horæ, & exurgunt 52 Min. horæ. Deinde min: 21 gradib. adhærentia, similiter per 4 multiplico & proueniunt 84 sec: horarum quæ diuisa per 60 emergit 1 Min: & remanent 24 sec: horæ. Illud 1 Min: superioribus 52 adiectum dat 53 Min: Ita se offert tempus ascensionis ♈ 51 Min: & 24 secund.

Hoc modo reliquorum signorum Zodiaci tẽpus ascensionis in omni eleuatione poli, colliges.

Tabula conuersionis temporum Æquinoctialis in horas & earum minuta.

Partes Æquatoris	Tempus correspondens.
360 Gradus	24 Horæ
180 Gr:	12. Horæ
90 Gr:	6 Horæ.
30 Gr:	2 Horæ
15 Gr:	1 Hora
1 Gr:	4 Min: Horæ
30 Min:	2 Min.
15 Min:	1. Min:
1 Min:	4 Sec:
30 Sec:	2 Sec:
15 Sec:	1. Sec:
1 Sec:	4 Tertia &c.

Vberiorem tabulam quære infrà notatam litera L fol. 194.

Quis est vsus Doctrinæ de ascensionibus?

Etsi doctrina de ascensionibus partium Eclipticæ multiplicem vsum habet in Astronomia: conducit tamen maximè ad intelligendas causas inæqualitatis dierum atq; horarum naturalium & artificialium.

DE

DE DIEBVS.

Quotuplices sunt dies?

Duplices { Astronomici & Ciuiles seu Politici.

DE ASTRONOMICIS diebus.

Quid est dies Astronomicus?

Qui ad corporum cœlestium conuersiones seu motus exactissimè consideratur & definitur.

Quotuplex est dies Astronomicus?

Duplex: { Naturalis & Artificialis.

Quid est dies Naturalis?

Est spacium temporis, quo Sol motu primi mobilis circa terram semel voluitur, ac redit ad locum eundem Meridiani, vnde digressus est.


Cur Astronomi diei exordium à Meridiano circulo sumunt?

Cum ascensionum ratio in Horizonte multipliciter variet pro sphæræ obliquitate: In Meridiano autem sit eadem vbiq; locorum, quæ in sphæra recta, placuit Astronomis initium diei sumere à Meridiano potiùs, quàm ab Horizonte, vt omnibus in locis vno eodemq; modo apparens tempus in æqualitatem commutaretur.

Suntnè dies naturales inter se æquales?

Etsi ad sensum vulgi, omnes 24 horarum esse existimantur: tamen Astronomi aliquam in ijs differentiam & inæqualitatem propter additamenta, quæ ad integras illas reuolutiones æquatoris adduntur, deprehendunt.

Quid vocas additamenta?



Illam particulam æquatoris, respondentem arcui Eclipticæ, quem Sol, dum circa terram violenter rapitur, proprio motu interim conficit: quæ si addatur ad integram æquatoris reuolutionem propter Solis progreßionem in Ecliptica, reddet dies naturales inæquales. Sed quia hæc inæqualitas diei naturalis obscurior est, quàm vt poßit incipientibus proponi, satis est saltem tyrones de hac re admonuisse, dum eius vsus in hoc Compendio nullus esse potest.

DE DIEBVS ARTIficialibus?


Quid est dies Artificialis?

Est tempus illud, quo Sol singulis diebus supra Horizontem nostrum ab ortu in occasum reuoluitur. Reliquum enim tempus, quo Sol infra Horizontem delapsus commoratur, donec ad ortum reuertatur, Nox artificialis dicitur.

Suntne dies Artificiales æquales?


In Sphæra recta sunt dies perpetuò æquales noctibus, & constant 12 horis æqualibus. In Sphæra autem obliqua duo tantum dies, qui æquinoctiales dicuntur, sunt noctibus suis æquales: reliqui autem omnes sunt inæquales, & vel maiores vel minores noctibus.

Quæ est causa æqualitatis dierum in Sphæra recta?



Quia æquali circulorum atq; temporis ſpacio in tali ſitu Sphæræ, perpetuò Sol ſupra & infra horizontem commoratur. Cum igitur medietates æquatoris & Eclipticæ ſint æquales, & de die ac nocte ſingulæ oriantur, neceſſe eſt dies & inter ſeſe & ad noctes collatos, perpetuò eſſe æquales, nempe 24. horarum.

Quare dies artificiales, exceptis duobus æquinoctialibus, in Sphæra obliqua perpetuò ſunt inæquales?



Quia in Sphæra obliqua ſemper fit inæqualis aſcenſio medietatum Æquatoris et Eclipticæ, & modò plus, modò minus de Ecliptica quàm de æquatore oritur: exceptis duobus æquinoctialibus punctis, in quibus æqualis eſt aſcenſio medietatum Æquatoris & Eclipticæ, quæ cum Sol attingit, quod fit bis in anno, dies noctibus adæquantur.

Quando dies ſunt noctibus æquales in Sphæra obliqua?

Quotannis tantum bis dies æquantur ſuis noctibus, videlicet Sole puncta æquinoctiorum occupante,

cupante, hoc est, ad principium ♈ & ♎ delato, qui propterea dies æquinoctiales dicuntur: alter Vernalis, alter Autumnalis. Reliquo anni tempore differunt dies quantitate, & vel superant noctes, vel ab iisdem superantur.

Quando dies sunt longiores noctibus?

Toto hoc tempore, quo Sol perambulat signa Septentrionalia, videlicet à principio ♈ vsque ad finem ♍. Longissimam autem efficit diem, & noctem contrà breuissimam, cum occupat principium ♋, quod Solstitium æstiuum dicitur.


Quando verò dies sunt breuiores noctibus?

Quamdiu Sol commoratur in signis meridionalibus: videlicet à principio ♎ vsque ad finem ♓. (Tunc enim circuli dierum sunt breuiores noctium circulis.) Minimi autem sunt dies, ac longissimæ noctes circa solstitium brumale, cum videlicet Sol ♑ ingreditur. Hinc vicissim sensim augentur & prolongantur dies, vsque ad æquinoctium vernum, vbi æqualis nocti iterum euadit.

Quomodo est inuestiganda longitudo diei artificialis?

Ad inueniendam longitudinem diei artificialis non tantum opus est Tabula continente introitum Solis in 12 signa Zodiaci, ad singulos dies

nostræ



nostræ ætatis, supra fol: 80. sed etiam Ascensionum obliquarum ad latitudinem tuæ habitationi accommodata, qualis est hæc graduum ferè 51, quæ ad nostrum, & vicina oppida accommodari potest, infrà fol. 188. notata littera: D.

Quæ est ratio inueniendæ longitudinis cuiuslibet diei artificialis?

I. Numeraturus quantitatem alicuius diei artificialis, quærat supra fol. 80. ex tabula introitus Solis in 12 signa Zodiaci, vel infrà ex calendario Poëtico, quem locum seu gradum signi Sol eo die teneat.

II. Quærat in tabula Ascensionum obliquarum arcum æquinoctialis ascendentem, cum eo gradu Eclipticæ, quem Sol illo die (cuius longitudo quæritur) tenet. Similiter & loci oppositi.

III. Subtrahat ascensionem loci Solis ab ascensione oppositi signi: hæc si fuerit minor, quàm

vt ab

vt ab ea ſubtractio fieri poßit (id quod fit, quamdiu Sol in ſignis Meridionalibus commoratur) addatur ei integer circulus, id eſt 360 gra. & tum demum fiat ſubtractio: differentia, quæ in gradibus & minutis relinquitur, Arcus diurnus dicitur.

IIII. Hunc arcum diurnum conuertat in tempus diuidendo per 15, & prodibit quantitas diei in horis & minutis.

V. Quòd ſi gradus & minuta, diuiſione facta, reſidua fuerint, gradus per 4 multiplicentur, & minutis ex diuiſione antea collectis addantur: Minuta verò reſidua per 4 multiplicata, redigantur in ſecunda, & ita prodibit longitudo diei artificialis in horis & minutis.

Da exemplum de longiſſima die?

Cupio ſcire quantitatem diei ſolſtitialis æſtiui, quæ eſt 13 Iunij. Tum enim, vt ex tabula introitus in 12 ſigna Zodiaci apparet, Sol ingreditur ♋, cuius aſcenſio ad noſtram eleuationem poli, eſt: 57 gra. 31 minu: quæ ſubtracta ab oppoſiti ſigni ♑ aſcenſione, quæ eſt 302 gra. 29. minu. relinquuntur 244 gra. & 58 minu. quæ diuiſa per 15 dant 16 horas & 3 minuta. Reſiduos 4 gradus per 4 redigat in minuta prima 16 & producto ſcilicet 3 minu. addat, & fiunt 19 minu. Reſidua etiam 13 minuta redigat per 4 in ſecunda 52. Et tanta

Et tanta eſt quantitas vera longiſsimi diei 16 hor. 19. min. & 52 ſec.

Aliud de breuiſsima die.

Die 13 Decemb. Sol ingreditur ♑, eſtq́; ſolſtitium brumale, cum cuius principio de æquinoctiali oriuntur 302 gradus, 29 minuta. Signi oppoſiti aſcenſio eſt 57 gra. & 31 minutorum: à qua dum ſubtractio fieri nequit, adiungo ei integrum circulum, id eſt, 360 gradus, & congregatum erit 417 grad. 31 minuta, à quo nunc ſubtraho aſcenſionem Solis, & relinquuntur 115 gradus 2 minuta: qui diuiſi per 15 producunt 7 horas. Reſiduos 10 gradus per 4 redigo in minuta 40. Adhærentia gradibus 2 minuta per 4 redigo in ſecunda 8, prodibit præciſè longitudo breuiſsimæ diei in horis & minutis 7 horæ, 40 prima, 8 ſecunda.

Quomodo indagatur quantitas noctis cuiuslibet?

Tempus diurnum ſubtractum à 24 horis relinquit quantitatem eius noctis: quod vt commodius fieri queat, vna integra hora redigatur per 60 in minuta prima: Vnum minutum primũ in ſecunda, vel vlterius ſi opus fuerit, & inde fiat ſubtractio, reſiduum prodit quantitatem noctis

eius

eius: vt subtracta quantitate longißimæ diei à 24 horis relinquitur quantitas noctis	*Hoc modo:*
	H ' "
	23 59 60
H ' "	16 19 52
æstiuæ solstitialis: 7 40 8	7 40 8
Sic etiam subtracta quantitate breuiß. diei relinquitur quantitas brumalis seu longißimæ noctis H ' " 16 19 52	H ' "
	23 59 60
	7 40 8
	16 19 52

Quomodo præcisè deprehenditur tempus ortus & occasus Solis ad quemlibet diem?

Seminocturnum tempus ostendit præcisè tempus ortus Solis: sicut dimidiatum tempus diurnum, prodit horam & minuta occasus. Occidit ergò Sol die solstitiali æstiuo 8 hora 9 min. 56 sec: oritur verò ea die Sol hora 3, 50 min. 4. sec.

Sic die Brumali occidit Sol hora 3, 50 pri. 4 sec. & oritur hora 8, 9 ' 56 " *Quod ex quantitate seminocturna & semidiurna, colligitur.*

Proba.

Tempora ortus & occasus addita dant 12 horas.

DE DIEBVS CIVILIBVS.

Quid vocas dies Ciuiles seu Politicos?

Quibus quælibet gens, neglecta accuratißima

ma motuum cœlestium obseruatione, vel more à maioribus accepto, vel superstitione quadam, vel suo quodam arbitrio & instituto vsa est: numerando eos, vel à Solis exortu, vel eius occasu, vel à meridie, vel media nocte.

Qui auspicantur diem à Solis ortu?

Babylonij & Norici.

Quare inchoarunt diem ab ortu?

Quia viderunt hoc naturæ maximè conueniens esse, vt dies inter duos Solis exortus numeretur.

Qui inchoant diem ab occasu Solis?

Hebræi, Athenienses, Poloni, Bohemi, Silesij & aliæ vicinæ gentes.

Quare auspicati sunt diem ab occasu?

Hebræi ex diuina institutione diem à nocte auspicati sunt, quòd tenebræ ante lucem diurnam fuerint: idq; exemplum postea et aliæ gentes imitatæ sunt.

Qui sumunt diei exordium à Meridie?

Ægyptij, Arabes, Vmbri & Astronomi.

Quare à Meridie?

Propter summam regularitatem & præcisionem, quæ sumitur à meridie in meridiem. Plin. lib. 2. cap. 77.

Qui incipiunt diem à media nocte?

Romani, & pleriq; Germani hodie idem faciunt.

Quare

Quare à media nocte initium diei faciunt?

Quia circa mediam noctem filius DEI Iesus Christus Sol iusticiæ & salutis nostræ sempiternæ nobis exortus, ex virgine natus creditur, in cuius rei memoriam plurimæ gentes Christianæ hanc consuetudinem tuentur. Malach 4. Esa. 9. 60.

NOTIO

Sed vndecunq; sanè dies ciuiles inchoentur, continent omnes 24 horarum spacium.

DE HORIS.

Quid est Hora?

Hora est 24. pars diei naturalis, aut diei siue noctis artificialis pars duodecima.

Quotuplices sunt Horæ?

Duplices { *Æquales siue Æquinoctiales.* / *Inæquales siue Temporales.* }

Quid est hora Aequalis?

Est vigesima quarta pars diei naturalis.

Qui vtuntur horis æqualibus?

Talium horarum hodie apud omnes gentes frequens est vsus, propter multiplicem commoditatem & facilitatem.

Quare dicuntur æquales?

Quia perpetuò eiusdem sunt quantitatis. Di-

cuntur etiam Æquinoctiales, quia per æquinoctialis circuli regularem & æquabilem motum, distinguuntur; dum de eo tanto temporis spacio perpetuò 15 gradus ascendant, & totidem in opposita parte descendant infra Horizontem.

Quid est hora inæqualis?

Est duodecima pars diei, vel noctis artificialis.

Qui sunt usi horis inæqualibus?

Veteres his usi sunt, omnium gentium consensu, ut apparet ex Euangelica historia, Plinio & alijs, qui subinde earum mentionem faciunt. Sed cum multa incommoda usus illarum horarum habeat, hodie tantum æqualibus horis utimur.

Quare dicuntur inæquales?

Quia diurnæ horæ collatæ cum suis nocturnis, vel cum diuersorum inæqualium dierum horis, nunquam sunt eiusdem magnitudinis: Sed cum incremento et decremento dierum ac noctium, horarum etiam quantitas, certa quadam ac regulari vicißitudine, immutatur: Exceptis duobus æquinoctialibus diebus, in quibus horæ æquales & inæquales eiusdem sunt quantitatis.

Quomodo colligitur quantitas horarum inæqualium?

Quantitas horarum inæqualium facilè deprehenditur; ubi spacium seu quantitas oblati

diei

diei vel noctis diuisa fuerit per 12: Sed vt exactissima temporis seu horarum inæqualium supputatio habeatur, resoluantur horæ illius diei per 60 in minuta, & collecta per 12 diuidantur: quæ post diuisionem reliqua fuerint, redigantur per 60 in secunda, vel vlterius: quæ deniq; diuisa, exactissimè producent horas inæquales, ad quamlibet datam diem.

TABVLA OSTENDENS, quo pacto horæ in scrupula sint resoluendæ.

H.	M.	H.	M.	H.	M.	
1	60	9	540	17	1020	*Hoc pacto*
2	120	10	600	18	1080	*etiam gra-*
3	180	11	660	19	1140	*dus in minu-*
4	240	12	720	20	1200	*ta, et minu-*
5	300	13	780	21	1260	*ta in secun-*
6	360	14	840	22	1320	*da &c. resol-*
7	420	15	900	23	1380	*uantur.*
8	480	16	960	24	1440	

Da Exemplum.

Inuenta est longitudo diei Solstitialis æstiui horarum 16 primorum 19 secundorum 52. Primùm resoluo 16 horas in 960 prima, quibus addo adhærentia 19 min. congregatum erit 979, quod diuido per 12, offeruntur 81 pri. Reliqua 7 prima minuta residua, redigo in secunda per 60 & prodibunt 420 secun. quibus addo 52 sec. fiunt 472 secun. quæ diuisa per 12 dant 39 sec. Quatuor secunda, quæ reliqua sunt post diuisionem, redigo in 240 tertia, quæ diuisa dant 20 tert. & tanta est longitudo horæ inæqualis eius diei 81 minutorum primorum, 39 secundorum, 20 tertiorum.

Aliud.

Longitudo diei Solstitialis Brumalis ad nostrum Horizontem est 7 horarum, 40 minutorum primorum, 8 secundorum.

Horæ integræ multiplicatæ per 60 dant 420 prima, quibus si addantur 40 adhærentia minuta, prodibunt 460 prima: hæc diuisa per 12 constituunt 38 prima. Residua 4 prima redigo in 240 sec. his addo 8 secunda, congregatum erit 248 secun. quæ diuisa per 12 producunt 20 secunda. Reliqua 8 sec. resoluo in 480 tertia, quæ diuisa per 12 dant 40 tertia. Atq; tanta est vna

hora

horæ inæqualis diei prædictæ, videlicet 38 pri. 20 sec. & 40 tert.

Hoc pacto omnium non tantum dierum, sed etiam noctium artificialium inæquales horas assequimur.

NOTIO.


Porrò obseruabis duarum horarum inæqualium spacia, diei scilicet & noctis artificialis, coniuncta, singulis diebus naturalibus, constituere duas horas æquales integras.

Suntne horæ inæquales vnius & eiusdem diei vbiq; locorum eiusdem quantitatis?

Minimè: Nam vt pro diuersitate locorum & eleuationum poli seu Horizontium, dies artificiales vel sunt breuiores vel prolixiores: ita etiam partes seu horæ inæquales, non sunt vbiq; eiusdem magnitudinis. Igitur pro diuerso situ Sphæræ, inhabitantes, nō tantum quantitates dierum ac horarum inæqualium, sed etiam proprietates, & accidentia diuersa sortiuntur.

DE PROPRIETATIbus Sphæræ rectæ.

Quæ sunt proprietates et accidentia inhabitantium Sphæram rectam?



Qui Sphæram rectam, seu tractum terræ Æquinoctiali subiectum inhabitant, quinq; habent proprietates.

Quæ est prima?

Habent perpetuò dies noctibus æquales.

Quæ est secunda?

Solem habent bis in anno verticalem, videlicet in principio ♈ & ♎.

Quæ est tertia?

Quatuor habent Solstitia, duo alta in punctis æquinoctialibus, quando Solem habent perpendicularem & propterea calorem maximum: & duo ima in punctis solstitialibus, quando aërem paulò mitiorem habent, & æstum debiliorem, & Solem à puncto Zenith remotißimum.

Quæ

Quæ est quarta?

Tres habent differentias meridianarum vmbrarum: Quæ aliquando procidunt in Meridiem, cum Sol percurrit signa Septentrionalia, aliquando in Septentrionem, cum videlicet Sol percurrit signa Meridionalia: aliquando nusquam declinant et perpendiculares dicuntur, cum Sol est in punctis æquinoctialibus, verticalis.

Quæ est quinta?

Omnes stellæ & circuli cœlestes, pariter oriuntur & occidunt.

DE PROPRIETATIbus Sphæræ obliquæ.

Quæ contingunt accidentia habitantibus in Sphæra obliqua?

Pro diuersitate locorum seu Horizontium varia & diuersa etiam sortiuntur inhabitantes accidentia.

I.

Quæ accidunt habitantibus inter Æquatorem & Tropicum.


♋.

Qui inter æquinoctialem circulum & Tropicum ♋ habitant, seu qui minorem poli eleuationem habent 23 grad. 30 minut. aliquas proprietates habent communes cum inhabitantibus Sphæram rectam, aliquas verò peculiares.

Quæ est prima?

Omnes ferè extra æquatorem habitantes, habent inæqualitatem dierum & noctium artificialium, exceptis duobus æquinoctialibus diebus.

Quæ est secunda?



Solem habent in anno bis verticalem, in oppositis locis, videlicet, quando Sol assequitur tantam declinationem, quanta est loci eius latitudo seu poli eleuatio.

Quæ est tertia?

Quatuor habent Solstitia: duo alta, cum Sol puncta eorum verticalia attingit: & duo ima siue humilia in punctis Solstitialibus.

Quæ est quarta?

Easdem fere vmbrarum differentias habent, videlicet Septentrionalem, Meridionalem & perpendicularem.

Quæ

II.


Quæ sunt proprietates habitatoribus sub Tropico ♋?

Quorum Zenith est in Tropico ♋, seu quorum eleuatio est præcisè 23 grad. 30 minut. habent quatuor accidentia.

Quod est primum?

Solem in anno semel habent verticalem, videlicet existentem in principio ♋.

Quod est secundum?



Longißimam diem Solstitialem habent horarum 13, 45 minut. & breuißimam noctem 10 hora. 15 minut.

Quod est tertium?

Vmbram meridianam semper habent ad Septentrionem proiectam: Excepta die Solstitiali altißima, in qua Sol verticalis nullam spargit vmbram, nisi perpendicularem.

Quod est quartum?

His quædam stellæ, polo eleuato vicinæ, perpetuò conspiciuntur, in opposita parte Stellæ polo oppresso propinquæ perpetuò latent, reliquæ verò oriuntur & occidunt.

III.


Quæ sunt proprietates habitantium inter Tropicum ♋ & circulum arcticum?

Qui inter Tropicum ♋, & circulum arcticum degunt, Zonæ temperatæ habitatores vocantur, & quatuor illis accidentia contingunt.

Quod est primum?

In hoc vasto & valdè amplo terræ tractu Solem nunquam habent verticalem.

Quod est secundum?



His meridianæ vmbræ perpetuò in Boream siue Septentrionem feruntur.

Quod

Quod est tertium?

Duo habent Solstitia, Æstiuum Sole existente in principio ♋, & hyemale in principio ♑.

Quod est quartum?


Maiorem, habent dierum & noctium artificialium inæqualitatem, quæ pro diuersa poli supra horizontem eleuatione variatur, & diei maxima quantitas proportionaliter à 14 horis vsque ad diei naturalis spacium crescit.

IIII.

Quæ sunt proprietates habitantium sub polari circulo Arctico?

Qui sub circulo arctico habitant, polum habent eleuatum 66 grad. 30 minut. & tria illis contingunt accidentia seu proprietates.

Quæ est prima proprietas?



Horum punctum verticale quotidiè in reuolutione cœli attingit polum Zodiaci.

Quæ

Quæ est secunda?

Horizon obliquus quotidie semel cum Zodiaco coniungitur.

Quæ est tertia?


Sole existente in principio ♋, habent diem longißimam 24 horarum, & momentum pro nocte. Econtra Sole in principio ♑ constituto, noctem habent 24 horarum, & momentum pro die.

V.

Quæ sunt proprietates habitantium intra circulum polarem Arcticum & polum mundi?

Qui vltra polarem circulum habitant ria, habent accidentia,

Quod est primum?



Apud hos pro mutatione exaltationis poli certa pars Eclipticæ vicina ♋, perpetuæ est apparitionis: Vnde quando Sol in illa parte commoratur,

ratur, continuam habent sine nocte diem. Econuerso huic æqualis portio, apud principium ♑ perpetuò infra Horizontem latet: vnde etiam continuam sine luce noctem habent, quamdiu Sol in illa Zodiaci parte commoratur. Inter has duas portiones Sol ambulans, efficit illis quoq; vicißitudines dierum & noctium inæquales.

Quæ est secunda?

His signa quædam, vt ♓ ♈ ♉ præposterè oriuntur, & recto ordine descendunt: rursus opposita signa ♍ ♎ ♏ recto ordine ascendunt & præpostero occidunt.

Quæ est tertia?

Habent quotidie vmbram versus omnes Horizontis partes protensam.

VI.

Quæ sunt proprietates habitantium sub polo mundi?

Qui poli eleuationem habent 90 grad. sub polo habitare dicuntur, habentq; tres proprietates.


Quæ est prima?

Habent æquinoctialē cum horizonte coniunctum.

Quæ est secunda?

Stellæ his non oriuntur & occidunt: sed quæ sunt in medietate cœli semper apparente, sunt perpetuæ apparitionis: quæ verò in altera latente sub Horizonte, perpetuæ sunt occultationis.

Quæ



Quæ est tertia?

Habitantibus sub polo, Zodiacus etiam in duas medietates ab Horizonte (qui cum æquinoctiali idem est) secatur, & totum annuu m spacium in vnum diem naturalem conuertitur, cuius dies artificialis æquat semestre, Nox itidem semestre. Nam quandiu Sol in medietate Boreali existit, habent continuam sine nocte lucem, per 186 dies: Econtra verò dum Sol alteram medietatem Austrinam perambulat, continuam habent noctem sine luce, per 178 dies.

Quæ omnia per Sphæram materialem declarari possunt.

Tabulam autem Maximi diei ad singulos gradus eleuationis poli supputatam, quære infra: litera K. notatam fol: 192.

FINIS TERTIÆ PARTIS.

LIBER QVARTVS DE ECLIPSIBVS ET DIVERSITATE ILLVminationum in Luna, atq; aspectibus Planetarum.

Quid est Eclipsis?

Est defectus, vel occultatio luminarium, quo minus radij ipsorum ad nos deferantur, seu conspiciantur. Sicut autem duo sunt luminaria magna, à Deo condita ad depellendas tenebras, scilicet Sol & Luna: ita vtriq; accidere Eclipses possunt.

DE ECLIPSI Lunæ.

Quid est Eclipsis Lunæ?

Est defectus seu priuatio luminis solaris in Luna: quæ ei accidit, dum ipsa Soli Diametraliter, (vel cum exigua latitudine) opposita, vel tota, vel aliqua sui parte in vmbram terræ, præcisè in medio illorum collocatæ, incurrit, lumenq; suum tàm diu amittit, donec proprio suo motu rursus ex vmbra terræ eluctetur, atq; à Sole iterum illustretur.

Quomodo


Quomodo Luna amittit lumen suum, cum in umbram terræ incurrit?

Quia Luna natura sua non luminosum, sed opacum & densum corpus est, & lumen, quod terris ostendit, non à se habet, sed à Sole mutuatur & haurit. Terra itaq; media, & diametraliter collocata inter Solem & Lunam, non solum propter corporis sui densitatem & spißitudinẽ radios Solares excipit, & in Lunam ferri prohibet: verùm etiam umbram in oppositam Soli partem spargit, eaq; Lunam inuoluit, eiq; hoc modo tenebras offundit.

Quid est Diametralis oppositio?

Cum Sol, terra atq; Luna sunt in una recta linea, quæ ex centro terræ educta, utrinq; per utriusq; etiam Luminaris centra transit. Ab hac linea cùm Luna extra Eclipticam constituta aberrauerit, aut aliqua sui corporis parte saltem, aut omninò umbram terræ declinabit.

Quot-



Quotuplex est ergo Eclipsis Lunæ?

Duplex { *Totalis* & *Partialis.* }


Quid est Totalis?

Cum tota Luna obscuratur: quod fit, cum toto corpore ingressa vmbram terræ deliquium patitur, vel cum mora, vel sine mora, pro vt terræ vmbra in loco transitus Lunæ vel spißior vel tenuior fuerit.

Quid est Partialis?

Cum non tota Luna obſcuratur, ſed aliqua tantum eius pars, quæ in vmbram terræ incurrit: quod fit cum Luna quidem Soli oppoſita fuerit, ſed cum aliqua latitudine.

Quid vocas latitudinem?



Declinationem Lunæ ab Ecliptica verſus alterutrum polorum: & tunc in ipſis nodis, per quos Diametralis linea tranſit, Luna non opponitur Soli, ſed ab his egreſſa aliqua tantum ſui corporis parte in vmbram fertur, quæ obſcuratur: reliqua verò eam euitat, quæ conſpicitur.

Quid vocas nodos?

Duo puncta interſectionum, in quibus Ecliptica & deferens Lunæ in duobus oppoſitis locis ſe mutuo interſecant, & lineam diametralem excipiunt: quorum alterum, (Vbi Luna ab Ecliptica digrediens ad verticem noſtrum propiùs accedit,

& à

& à Meridie versus Septentrionem mouetur.) Nodus ascendens, vulgo caput Draconis dicitur, & tali charactere exprimitur ☊. Alterum verò priori oppositum (vbi Luna ab Ecliptica discedens à Septentrione in Meridiem mouetur) Nodus descendens, vulgò cauda Draconis nominatur, & tali charactere notatur ☋.

Quare non singulis mensibus in oppositione fit Eclipsis Lunæ?

Quia Luna non perpetuò progreditur sub Ecliptica sicut Sol, sed plerunque oppositionis tempore ab ea discedit ad mundi latera, vel versus Septentrionem vel meridiem. Quare extra Eclipticam Luna constituta, cum latitudine maiore 64 minutis, euitat terræ vmbram, quam certo interuallo præterit, ac pleno orbe fulget.

DE ECLIPSI SOLIS.

Quid est Eclipsis Solis?

Eclipsis Solis non est amißio seu extinctio lucis in Sole: sed tantum occultatio, inhibitio, seu auersio solis, vel totius, vel alicuius partis ab illo terræ tractu, qui corpori lunari directè Soli supposito, eiusque radios excipienti, subiacet.

Quando & quomodo fit Eclipsis Solis?

Eclipsis Solis fit tantùm in coniunctione seu nouilunio, quando videlicet Luna diametraliter

inter Solem & aspectum nostrum interposita, obiectu sui corporis densi & opaci, Solem nobis adimit, eiusq; radios excipit, sursum regerit, nec ad nos penetrare sinit.


Quomodo Luna tàm vasti corporis Solaris conspectum, eiusq; lumen nobis eripere potest, cum longè minor sit Sole?

Etsi Luna multò minor est Sole: tamen propter suam ad terram propinquitatem, totum Solis corpus nobis tegit atq; eripit, quemadmodum manus, vel alia corpora parua oculis admota, amplissima ædificia, altissimos montes & terræ tractus vastissimos tegunt & occultant.

Quotuplex est Eclipsis Solis?

Duplex { Totalis & Partialis.

Quæ



Quæ est Totalis?

Quando Luna Diametraliter Soli supposita seu coniuncta, totum Solis corpus terris adimit, donec proprio motu celeriùs progressa, iterum eum retegit, eiusq; radios ad nos pertingere sinit.

Quæ est Partialis?

Cum Lunæ corpus non in vna recta linea, sed cum latitudine aliqua (minore 35 min.) suppositum Soli, eius certam aliquam portionem saltem nobis contegit & eripit, reliquam verò absq; priuatione luminis seu obscuratione nobis aspiciendam relinquit.

Suntne Eclipses Solis, sicut Lunæ, vniuersales?

Eclipses Solis etiam Totales non sunt vniuersales, id est, non conspiciuntur ab omnibus habitantibus in illo hemisphærio, quod Solem supra horizontem eleuatum habet, sed tantùm ab ijs, qui intra conum vmbræ Lunæ habitant. Alij extra conum aut nullam, aut saltem partialem Eclipsin Solis habent. Igitur in vno terræ tractu potest esse Eclipsis Solis totalis, cum in alio, aut nulla, aut exigua saltem sit.

Qualis fuit Eclipsis Solis, pendente Christo in cruce conspecta?

Eclipsis tempore paßionis Christi conspecta, non fuit Naturalis (de qua hic agitur) sed Miraculosa. Accidit enim tempore plenilunij seu oppositionis, vt apparet ex celebratione Paschatis, & mactatione agni Iudæorum Exodi 12. Igitur non fuit inhibitio aut auersio radiorum solarium interposito corpore lunari: Sed reuerà priuatio & amißio natiui & ingeniti luminis. Præterea fuit vniuersalis i. e. in tota terra conspecta Matth. 27 Marci 15 Lucæ 23 & durauit per tres integras horas, à tertia vsque ad nonam horam, adeò vt subitò dies in noctem conuersa, & stellæ in cœlo conspectæ fuerint, vt testatur Eusebius.

Quare

Quare non singulis mensibus fiunt in coniunctione Eclipses Solis?

Quia plerunq; Luna, tempore coniunctionis, admirabili prouidentia diuina, extra Eclipticam euagata, cedit Soli ceu regi ac numini suo, quem in latitudinem vltra 35 minuta digressa, absq; vlla obscuratione præteruehitur.

Possuntné & aliæ stellæ atq; Planetæ Eclipsari?

Etsi superiores stellæ ac Planetæ Eclipsari non possunt, sicut Luna, quòd vmbra terræ eo vsq; non pertingat: Inferiores verò duo Planetæ, ad quos vmbra terræ fertur, ibiq; deficit, à Sole tantum non discedant, vt ipsi ex aduerso fiant, & in vmbram terræ incurrant: tamen frequenter, sicut Sol, Stellæ quædam in Zodiaco obiectu corporis Lunæ, vel alterius Planetæ nobis eripiuntur: Sed quia nullam terris adferunt caliginem, coniungi potiùs, quam Eclipsari dicuntur.

DE DIVERSITATE APparentiarum & illuminationum in Luna.

Quæ est causa diuersarum illuminationum & figurarum in Luna?

Dißimilis Lunæ ad Solem luminis sui fon-

tem, & ad terram, ex qua non eodem modo semper conspicitur, positus, facit vt Luna singulis mensibus certa lege incrementi & decrementi diuersa quasi facie refulgeat, aut corporis sui à Sole irradiatam partem terris ostendat.

Quanta pars corporis Lunæ à Sole irridiatur?

Etsi tota superior medietas Lunæ vel paulò plus, semper à Sole illuminatur, & inferior corporis pars à Sole auersa perpetuò obscura manet: tamen quia illud collustratum à Solis radijs hemisphærium non eodem semper modo seu vniformiter, sed interdum plus, interdum minus de illuminata, vel opaca medietate corporis sui, Luna visui nostro obuertit, Ideò aliam atque aliam speciem præ se ferre videtur.

Quare non tota Luna à Sole illuminatur, sed eius inferior medietas semper obscura manet?

Quia materia corporis Lunæ densa & opaca est, nec per alteram inferiorem à Sole auersam partem, radios Solares, quos superior Lunæ pars in solem spectans excipit, & intra sese quasi conclusos retinet & sursum regerit, transire patitur. Inde fit, vt Luna alteram tantùm medietatem Solis lumine imbutam, alteram verò semper obscuram habeat, & modò hanc, modò illam visui nostro

nostro obiectans, nouas subinde corporis & lucis suæ figuras & mutationes præ se ferat.

Quot sunt ergò eius præcipuæ & maximè conspicuæ formæ?

Octo obseruantur Lunæ effigies seu φάσεις, quas singulis mensibus certa lege crescentis & decrescentis luminis nobis exhibet.

Quæ est prima?

Prima species est Lunæ silentis, & dicitur σύνοδος, coniunctio Lunæ seu Nouilunium, cum Luna soli supposita, & cum eo quasi coniuncta, prorsus latet, & nullum terris lumen præbet. Nam totam superficiem illuminatam, à nobis auersam & sursum in Solem spectantem, habet, alteram verò opacam & obscuram terris ostendit.

Quæ est secunda?

Secunda forma est Lunæ crescentis, & μηνοειδὴς seu falcata dicitur, Cum Luna quarta die post coniunctionem, exiguam illuminatæ medietatis partem exerit, & quasi corniculata conspicitur.

Quæ est tertia?

Tertia effigies, cum per medium quasi dissecta Luna videtur, unde διχότομος dicitur, videlicet cum 7 die à coniunctione, quadrante circuli à Sole distans, tantam portionem de illu-

minata, quantam de obscura medietate, visui nostro obuertit, vnde dimidiata appellatur.

Quæ est quarta?

Quarta Lunæ crescentis facies dicitur ἀμφίκυρτος, *vtrinque tumida seu gibbosa: cum 11 die à coniunctione plus de illustrato, quàm de obscuro hemisphærio oculis nostris obiectat, & quasi turgida videtur.*

Quæ est quinta?

Quinta figura dicitur πανσέληνος, *Plenilunium, seu oppositio, cum Luna opposita Soli, totam irradiatam medietatem terris ostentat, & pleno quasi orbe fulgens, obscuram medietatem à nobis auersam habet, quod regulariter ei accidit 15 die à coniunctione.*

Quæ est sexta?

Luna post oppositionem, conuerso ordine, easdem luminis decrescentis vicissitudines atque effigies nobis obiectat, quas paulò antè crescens habuit: ideò quatriduo post plenilunium, seu à coniunctione die 19, denuò apparet ἀμφίκυρτος *seu gibbosa, dum paulatim, certa decrementi lege, luminosam partem à nobis auertit, contrà verò aliquam de opaca obiectat.*

Quæ est septima?

Septima luminis decrescentis Lunæ vicissitudo est, cum Luna 21 die à ☌ denuò διχότομος.

μος, id est, Dimidiata conspicitur, dum æquali portione tantum de illuminato, quantum de obscuro hemisphærio nobis ostendit.

Quæ est octaua?

Vltima luminis Lunæ mutatio est, cum quasi senescens 26 die post coniunctionem iam subitura solis radios, paulò ante nouilunium, rursus falcata apparet, & exiguam de luminosa, maximam verò de opaca parte terris obuertit, donec cum Sole coniuncta rursus ex oculis nostris quasi euanescat, quod fit 30 die à coniunctione.


Appendix.

Ex his perspicuum est, cur quinq; numerentur menstruæ mutationes Lunæ, seu φάσεις, dum tres nouissimæ vicissitudines decrescentis Lunæ, non quidem appellationibus vel formis: sed tantum ordine & tempore, à tribus prioribus crescentis Lunæ differant.

SCHEMA ILLVMINAtionis Lunæ.

Quid prodest nosse has vicissitudines Lunæ?

Valdè prodest non tàm Lunæ, quàm reliquorum Planetarum configurationes atq; aspectus obseruare et diligenter considerare propter eximiam &


O
K
L
M
N
C
O
M
L
D
N
P
O
M
L
P
E
S
B
M
O
P
L
F
O
P
M
N
K
L
G

miam & singularem vim, quam non solùm in ciendis variandisq́ tempestatibus habent: verùm etiam in miscendis temperamentis animantium ac præcipuè hominum, quæ postea ingeniorum atq́ animorum inclinationes sequuntur: Cuius rei communem experientiã locupletem testem habemus.

Tabula continens tempus in horis & minutis, quibus ☽ supra horizontem lucet.

Dies ætatis ☽		*H.*	*M.*
1	29	0	48
2	28	1	36
3	27	2	24
4	26	3	12
5	25	4	0
6	24	4	48
7	23	5	36
8	22	6	24
9	21	7	12
10	20	8	0
11	16	8	48
12	18	9	36
13	17	10	24
14	16	11	12
15	15	12	0
Serò	*Manè*	*lucet*	☽

Tabula τῶν φάσεων Lunæ.

Crescentis Lunæ.			Decrescentis.	
Dies mens.	Aspectus	φάσεις	Aspectus	Dies mens.
1	☌	σύνοδος	☌	30
4	⚹	μηνοειδὴς	⚹	26
7	□	διχότομος	□	22
11	△	ἀμφίκυρτος	△	19
15	☍	πανσέληνος	☍	15

DE ASPECTIBVS PLAnetarum.

Quid sunt aspectus Planetarum?

Sunt habitudines & distantiæ Planetarum tantæ, quantæ vires suas inuicem communicare possunt.

Quot sunt species aspectuum?

Quinq; { Coniunctio, Sextilis, Quadratus, Trigonus, & Diametralis seu Oppositio.

Quæ est prima?

Prima species aspectuum dicitur coitus seu coniunctio quando duæ stellæ seu Planetæ coniunguntur, & velut in vna linea copulantur, cuius nota est ☌; à græcis σύνοδος & συζυγία dicitur.

Quid

Quid est Sextilis aspectus?

Cum duo Planetæ seu stellæ per sextantem Zodiaci partem, id est, per 2 signa seu 60 grad. inter se distant, vnde sexangulari figura pingitur ✱: græcè ἑξάγωνος.

Quid est quadratus aspectus?

Cum duæ stellæ interuallo 3 signorum, quæ quadrantem circuli seu 90 grad. efficiunt, se mutuo respiciunt: vnde à græcis τετράγωνος eadem ratione dicitur, & signatur nota conueniente, scilicet quadrangulari, hoc modo □.

Quid est Trigonus aspectus?

Quando stellarum distantia complectitur trientem circuli, id est, 120 grad. 4 signa. Vnde triangularem notam habet △.

Quid est Diametralis aspectus?


Est opposita duorum luminarium configuratio, quæ à se inuicem distant 180 grad. seu dimidio circuli: vnde διάμετρος seu oppositio dicitur, & notatur tali charactere ☍.

Quare quinq; tantum constituuntur aspectus?

Quia tot sunt æquales Zodiaci diuisiones secundum 12 signorum numerum, qui aptißimè in duo, tria, quatuor & sex distribuitur.

Schema

Schema configurationum seu aspectuum Planetarum.



Quomodo diuiduntur aspectus?

In felices, & Infelices.

Qui sunt felices ac fausti?

Prosperi seu benigni sunt: Trigonus & Sextilis aspectus.

Quare dicuntur felices?

Quia radij Planetarum incidentes obliquè ac sibi

sibi inuicem cedentes, inferioribus corporibus vires placidiores, & minus violentas, infundunt & communicant.

Qui sunt infelices?

Infelices seu maligni sunt: Coniunctio, Quadratus & oppositus aspectus.

Quare dicuntur maligni?

Quia Planetæ radijs suis sibi inuicem occurrentes se mutuo collidunt, & neuter alteri cedere potest, propter rectam incursionem. Ideo maiorem vim in ciendis, variandisq́ tempestatibus, in miscendis temperamentis animantium, & aëris qualitatibus exercent.

Vnde est hæc effectuum varietas?

Configurationum effectus & varietas, primum in Luna animaduersa est, quam postea artifices ad reliquos Planetas transtulerunt, qui magna solertia & attentiore obseruatione causas euentuum ex ipsa natura motuum atq́ aspectuum speciebus eruere & monstrare conati sunt.

FINIS.

SEQVITVR APPENDIX Geographica de supputandis locorum distantijs.

L ME-

METHODVS DE DISTANTIIS LOCORVM COMPVTANDIS.

Quid est distantia locorum?

Est intercapedo seu interuallum inter loca seu ciuitates duas datas, certo graduum seu miliarium numero, de quo inquiritur, quoquo modo differentes.

Quot modis differunt Loca?

Tribus, aut { Sola Latitudine / Sola Longitudine / Longitudine & Latitudine simul.

Quid est latitudo loci?

Est arcus meridiani interceptus inter æquinoctialem & parallelum circulum, transeuntem per Zenith loci oblati, cuius latitudo inquiritur.

Quid hîc vocas Meridianum?

Circulum magnum transeuntem per verticem loci dati, & vtrunq; polorum.

Quot sunt Meridiani?

Supra in secundo libro dictum est, Cosmographos progrediendo ab occasu in ortum per singulos gradus æquatoris, & per polos seu puncta

polis

polis mundi subiecta circulos ducere 180: quos, quia meridianis cœlestibus subiacent, meridianos quoq; vocant.

Quid sunt Paralleli?

Sunt æquidistantes circuli, procedentes per meridianos ab æquinoctiali vtrinq; versus polos mundi seu puncta polis subiecta.

Quot sunt Paralleli?

Tot sunt, quot Meridianus circulus gradus habet, per quos in oppositis locis ducuntur, videlicet 180.

Suntnè Paralleli eiusdem magnitudinis?

Minimè: Nam prout polis mundi sunt viciniores, eò sunt arctiores seu breuiores: Contrà quò à polis sunt remotiores & æquinoctiali viciniores, eò sunt laxiores & capaciores.

Quid hîc vocas æquinoctialem?

Circulum maximum Parallelorum, æquinoctiali cœlesti subiectum, medium globum terreni orbis cingentem, & in duas æquales partes dirimentem, à quo initium latitudinis numeratur.

Quid est longitudo loci?

Est arcus æquinoctialis vel Paralleli circuli interceptus inter Meridianum occidentalem fixum, à quo sumitur initium longitudinis (qui transit per insulas fortunatas) & Meridianum alterum, ductum per Zenith loci dati, cuius longitudo quæritur.


Quare sumitur initium longitudinis à Meridiano fixo, transeunte per Insulas occidentales seu fortunatas?

Etsi liberum fuit vndecunq; initium longitudinis facere, tamen Cosmographi à Meridiano occidentali per Insulas fortunatas transeunte, initium longitudinis fecerunt, quòd loca occidentalia propter crebram nauigationem in illa, orientalibus notiora fuerint.

DE I. DIFFERENTIA.

Quæ loca sola latitudine differunt?

Loca posita sub eodem meridiano, sed diuersis parallelis.



Quomodo inquiritur distantia locorum sola latitudine differentium?

Minor latitudo a maiore subtrahatur, & differentiæ gradus multiplicentur per 15. Minuta adhærentia gradibus diuidantur per 4 productum tandem prioris numero addatur: prodibit quæsita distantia locorum datorum differentium sola latitudine.

Quare gradus per 15 multiplicantur, & minuta per 4 diuiduntur?

Nam vni gradui magni circuli respondent in terris 15 miliaria Germanica: Vni verò miliari 4 minuta gradus.

Da Exemplum!

Volo inquirere distantiam inter Curiam & Neoburgum, quæ longitudine conueniunt. Est enim vtriusq; ciuitatis longitudo 29 gra. 30 ferè min. differunt autem latitudine. Latitudo enim Neoburgi 51 gra. 20 min. Curiæ verò 50 grad. 20. mi. Nunc quæro per subtractionem minoris latitudinis à maiore differentiam latitudinum, quæ est 1 gra. quem multiplico per 15 proueniunt 15 mil. distantia inter Curiam & Neoburgum,

Aliud.

Lipsia & Ratisbona conueniunt longitudine, id est, æqualiter distant ab Occidente, seu meridiano transeunte per Insulas fortunatas. Est

enim vtriusq́ oppidi longitudo (vt ex Tabula longitudinis & latitudinis ciuitatum in fine huius tractatus patet) 29 gra. & 58 ferè minutorum. Diuersam verò habent latitudinem seu distantiam ab æquinoctiali circulo. Latitudo Lipsiæ est 51 gra. 24 min. Ratisponæ verò latitudo est 48 gra. 56 min. Harum duarum ciuitatum interualla vbi explorare cupio, subtraho minorem latitudinem, videlicet 48 grad. & 56 minut. à maiore 51 grad. & 24 minut. relinquitur differentia, 2 grad. & 28 minut. Gradus 2 multiplico per 15 miliaria, quibus vnus gradus magni circuli respondet, & offeruntur 30 miliaria. Deinde adhærentia 28 minut. diuido per 4 & proueniunt 7 miliaria, quæ collecta cum superioribus efficiunt 37 miliaria germ. interuallum inter Lipsiam & Ratisponam.

Alia Exempla.

	Long.	*Latit.*
Noriberga	28 *gra.* 20 *min.*	49 *gra.* 24 *min.*
Mediolanum	28 *gra.* 20 *min.*	45 *gra.* 6 *min.*

Longitudine conueniunt, sunt enim sitæ sub vno meridiano, & æqualiter ab occidente distant. Latitudine verò differunt, quia sitæ sunt sub diuersis parallelis, inæqualiter ab æquatore distantibus. Differentia Latitudinum: 4 grad. 18 minut: gradus 4 per 15 multiplicati dant 60 miliaria.

liaria. minuta 18 per 4 diuisa producunt $4\frac{1}{2}$ *mil. quæ addita superioribus, gignunt* $64\frac{1}{2}$ *miliaria.*

	Longit.	Latit.	
Vratislauia	34 gra. 36 min:	51	10
Vienna	34 gra. 36 min.	47	44
		3	26

Differentia latitudinum quæ constituunt $51\frac{1}{2}$ *miliaria.*

	Longit.		Latit.	
Magdeburgum	29	38	52	20
Curia	29	30	50	20

Differentia latitud. 2 gradu. qui multiplicati per 15 dant 30 miliaria distantia.

Nazareth	66 gra.	56 min.	32 gra.	42 min.
Capernaum	66 gra.	53 min.	32 gra.	28 min.

Differentia latitudinis 14 min. quæ diuisa per 4 constituunt tria miliaria & semissem, $3\frac{1}{2}$ *milia.*

DE II. DIFFERENTIA.

Quæ loca sola longitudine differunt?

Quæ sunt sita sub vno parallelo, sed diuersis meridianis: ideo æqualem ab Æquatore distantiam habent, ab Occidente verò dissimiliter absunt.



Quomodo inquiritur distantia locorum sola longitudine differentium?

Primùm, differentiam longitudinis quære per subtractionem minoris à maiore.

Deinde, cum gradibus latitudinis communis ingredere in tabulam proximè sequentem, longitudinis gradus extra æquatorem in miliaria conuersos continentem, & vide quot miliaria vni gradui paralleli transeuntis per verticem locorum datorum respondeant.

Tertiò, miliaria & minuta in tabula inuenta, gradibus & minutis differentiæ longitudinis communis subscribe, ita vt miliaria sub gradibus & minuta miliarium sub minutis gradum aptè collocentur.

Quartò

Quartò, Differentiam longitudinum multiplica directè & transuersè, hoc modo: primùm rectè gradus per miliaria, & prouenient miliaria. Deinde minuta graduum per minuta miliarium, & exurgent secunda. Postea transuersè, id est, minuta graduum per miliaria integra, & prodibunt minuta miliar. contrà minuta miliaribus adhærentia per miliaria, prouenient iterum minuta miliarium.

Quintò: Minuta secunda per 60 redigantur in prima, & reliquis per transuersam multiplicationem inuentis adijciantur, atq; ita per additionem omnia minuta collecta redigantur per 60 in miliaria integra, & reliquis miliaribus, quæ ex multiplicatione miliarium & graduum prouenerunt, addantur: atq; ita tota operatio absoluta erit, productusq; numerus distantiam locorum datorum quæsitam, in miliaribus & minutis, ostendet.

Quare in hac computatione non multiplicatur differentia longitudinis per 15 vt in priore, sed per numerum miliarium in tabula inuentum.

Si paralleli omnes essent eiusdem magnitudinis, responderent etiam singulis gradibus 15 miliaria: Sed quia inæquales sunt, scilicet maiores, quò sunt æquinoctiali circulo propiores, minores verò ac contractiores, quò longius ab eodem

versus polos mundi recedunt, ideò non respondent omnium parallelorum singulis gradibus 15 miliaria excepto æquatore, sed pauciora, pro proportione distantiæ, quam habent ad æquinoctialem medium & maximum parallelorum circulum, sicut ex sequenti tabula patet.

Quomodo ingrederis Tabulam, quando integris gradibus communis latitudinis minuta adhærent?

Nos, omissa accuratiore inquisitione partis proportionalis, pro minutis adhærentibus integris gradibus latitudinis communis, cum superant dimidium gradum, sumemus integrum gradum, eumq; prioribus suis gradibus latitudinis addemus.

Vel: si deficiunt à dimidio gradu, negligemus ea, & (vt fieri solet) cum integris tantùm gradibus, ingressi tabulam, videbimus quot miliaria & minuta parallelus iste habeat correspondentia.

Sequitur Tabula ostendens, quot miliaria gradibus parallelorum in singulis eleuationibus respondeant.

Tabula continens gradus longitudinis extra æquinoctialem conuersos in miliaria.

Grad.

Gr.	Mi.	Mi.	Gr.	Mi.	Mi.	gr.	mi.	Mi.
1	14	59	31	12	51	61	7	16
2	14	59	32	12	43	62	7	2
3	14	58	33	12	35	63	6	48
4	14	58	34	12	26	64	6	34
5	14	56	35	12	17	65	6	20
6	14	55	36	12	8	66	6	6
7	14	53	37	11	59	67	5	52
8	14	51	38	11	49	68	5	37
9	14	48	39	11	39	69	5	23
10	14	46	40	11	29	70	5	8
11	14	43	41	11	19	71	4	53
12	14	40	42	11	9	72	4	38
13	14	37	43	10	58	73	4	23
14	14	33	44	10	47	74	4	8
15	14	29	45	10	36	75	3	53
16	14	25	46	10	25	76	3	38
17	14	21	47	10	14	77	3	22
18	14	16	48	10	2	78	3	7
19	14	11	49	9	50	79	2	52
20	14	6	50	9	38	80	2	36
21	14	0	51	9	26	81	2	21
22	13	54	52	9	14	82	2	5
23	13	48	53	9	2	83	1	50
24	13	42	54	8	49	84	1	34
25	13	36	55	8	36	85	1	18
26	13	29	56	8	23	86	1	3
27	13	22	57	8	10	87	0	47
28	13	15	58	7	57	88	0	31
29	13	7	59	7	43	89	0	16
30	12	59	60	7	30	90	0	0

Da Exem-

Da Exempla?

Cupio inquirere distantiam inter Curiam & Francofurtum, quæ latitudine, neglectis paucis minutis, conueniunt, estq́ 50 grad. 20. minut. Longitudine autem differunt, quia Francof. est occidentalior, cuius longitudo est 25 grad. 30 min. Curiæ longitudo est 29 gra. 52 min. Quæro nunc differentiam longitudinum subtrahēdo minorem à maiore, & relinquuntur 3 gra. 52 min. Iam cum Latitudine communi 50 grad. scilicet (minuta, quia deficiunt à dimidio gradu, negligo) ingredior tabulam præcedentem, & inuenio 9 miliaria 38 min. respondere vni gradui huius paralleli transeuntis per Zenith datarum ciuitatum: quæ subscripta differentiæ Longitudinum, primùm inter se multiplico 9 miliaria per 3 grad. & proueniunt 27 mil. & 52 minuta graduum per 38 minuta milia. offerunt se 1976 secunda miliarium.

Deinde, vtor transuersa multiplicatione, & 38 minuta per 3 grad. multiplicata dant 114 minuta prima. Sic quoq́ 52 minuta adhærentia integris gradibus multiplicata per 9 miliaria producunt 468 minuta.

Tandem secunda 1976 redigo per 60 in prima, videlicet 32 quæ addita & collecta cum minutis ex superiore operatione seu transuersa multiplicatione inuentis efficiunt, 614. Hæc diuisa

uisa per 60 faciunt mil: 10 quæ addo Miliaribus 27 ex multiplicatione graduum & miliarium antè inuentis, Prodit distantia inter Curiam & Francof. 37 mil. 14 & 59.

Aliud.

Cupio explorare distantiam inter Tubingam & Ingolstadium, primùm pono gradus Latitudinis vtriusq; ciuitatis hoc modo:

Ingolstad. 29 *gra.* 6	*Lat.com*	0 *min.*	
Tubinga 26 *gra.* 21	*munis*	48	4:.

Differunt igitur Sola longitudine, quia sitæ sunt sub vno parallelo, & diuersis meridianis. Subtracta minore longitudine à maiore, relinquitur differentia longitudinum 2 gra. 43 min. Postea ingredior tabulam cum communi latitudine, sed quia cohærent minuta, quæ superant dimidium gradum, eorum loco sumo vnum gradum, cui in hoc parallelo, vt ex tabula patet, respondent miliaria 9 & 50 min. quæ subscribo differentiæ longitudinum & multiplico, dant 18 milia. & 2150 secunda, ex transuersa verò multiplicatione proueniunt 477 minuta.

Tandem redigo secunda 2150 per 60 in prima 35, quæ addo 487 ex transuersa multiplicatione collectis, erit aggregatum 522, quæ redacta in mili. per 60 dant 8 mil. quæ reliquis ex multiplicatione inuentis 18 videlicet addita, ostendunt distantiam

distantiam datarum ciuitatum 26 mil. 42′ 50″.

Aliud.

Lipsiæ longitudo est	*29 gra. 58 min.*
Antuerpiæ longitudo est	*20 gra. 16 min.*
Differentia longitudinum	*9 gra. 42 min.*
Latitudo vtriusq;	*51 gra. 24 min.*
Miliaria correspondentia sunt	*9 & 26 min.*

Hæc cum differentia longitudinum multiplicata dant miliaria 91 minuta 30, & secunda 12 distantiam inter Lipsiam & Antuerpiam.

Aliud.

Viennæ longitudo est	*34 gra. 36 min.*
Basileæ longitudo est	*24 gra. 22 min.*
Differentia longitudinum	*10 gra. 14 min.*
Vtriusq; latitudo est	*47 gra. 44 min.*

Pro 44 minutis sumo integrum gradum, atq; ita cum 48 gra. ingressus tabulam, inuenio 10 mil. & 2 min. respondentia, quæ cum differentia longit. multiplicata, offerunt distantiam inter Basileam & Viennam 102 mil. 40′ 28″.

Aliud.

Vratisla-

	o	'
Vratislauia	34	34
Erfordia	28	30
Differentia longitudinum	6	4
Latitudo communis	51 gra. & 10 min.	
Miliaria respondentia	9 gra. & 26 min.	

quæ multiplicata, offerunt 57 mil. 13' & 44''.

Da operationem faciliorem.

